BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
ROMA
8
46 B
21

X. [illegible], 4.

Digitized by Google

f Hb. B, 21

Digitized by Google

Digitized by Google

DISSERTATIO
DE
TIMORE
POENITENTE.

8.46.B.21

Autore P. ANTONIO BONETO,
è Societate JESU.

TOLOSÆ,
E Typographiâ PECHIANA.

M. DC. XCIV.

Cum Facultate & Approbatione.

34

Bibliot. S. Blasij [illegible] de urbe.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO.

TIMOREM Pœnitentem appello dolorem de peccato, ex metu pœnarum, qui ad obtinendam juſtificationis gratiam, in Pœnitentiæ Sacramento ſufficiat. Argumentum ſanè à multis, in utramque partem, abundè verſatum; cujus proinde nova tractatio intempeſtiva, ac prorſus ſupervacanea videatur. Verum id quidem, ſi per homines liceret, ſeu ſeverio-

Pro parte affirm. ſcripſere P. Pinteræus. P. Maximilia. Le Dét. P. Ægid. Eſtrix Secret. Gener. Societ. JESU.

Digitized by Google

ris, ut præ ſe ferunt, diſciplinæ, ſeu rerum novarũ, &contentionũ amantes. Uteremur, bonâ fide, doctrinâ, à Concilio Tridentino, nuperrimè traditâ, Sedis Apoſtolicæ decretis ac præſidio munitâ, plurium Theologorum ſuffragiis roboratâ, inter quos, ut ſummi ipſi Põtifices aïunt, illa opinio communior eſt. At ecce, huic legitimæ poſſeſſioni adverſantur nonnulli Autores, qui, ſcriptis continenter editis, contrariæ ſententiæ Theologos laceſſere pergunt, & contortis, ad arbitrium, Concilii Tridentini interpretationibus, Dei dilectionem, ex to-

Decr. Alex. VII. an. 1657.

Digitized by Google

to corde, ac ſuper omnia, in Sacramento, neceſſariam eſſe contendunt.

Movit amicum hæc iſtorum hominum, in ſcribendo, conſtantia, ut me ad reſpondendum interpellaret; quod ego munus, non ægrè admodùm ſuſcepi, ne quis ex ſilentio noſtro ſuſpicaretur, idoneæ defenſionis inopiâ, cauſam à nobis deſperatam, relictamque, & diſputationis aleam declinari, quòd nihil habeamus reponendum.

Cùm autem, inter illos Autores multùm emineat dignitate, eruditione, partium ſtudio, Joannes Epiſcopus Caſtorienſis, atque in Belgio

Digitized by Google

fœderato, Vicarius Apoſtolicus, qui in libro ſingulari, de Amore Pœnitente, argumentum illud fusè proſecutus eſt; hunc ex omnibus delegimus, à quo, adverſæ ſententiæ tum firmamenta, tum effugia diſceremus. Et quoniam ille in eum tractatum, & aliorum Autorum, & ſua ipſius cogitata accuratè congeſſit, confectum erit planè negotium, ſi contigerit nos ex ejus argumentationibus expediri. Quod an verè aſſecuti ſimus, ſtatuent æqui rerum æſtimatores.

Atque ut intelligatur, quid potiſſimùm nobis propoſitum ſit, obſervandum in pri-

Digitized by Google

mis, Dei dilectionem, quæ ad efficacitatem Sacramenti neceſſaria dicitur, pluribus modis accipi poſſe. Primò ſi dicatur, eſſe aliquem, in Deum, motum, cum quo Pœnitens vult redire in gratiam, & à quo expectat remiſſionem peccatorum. Quem ſanè affectũ, non inficiamur, cum verâ, & ſupernaturali Attritione, quæ ad Sacramentum ſufficiat, eſſe conjunctum; ſed illum, ad virtutem ſpei, aut Pœnitentiæ potiùs, quam ad Charitatem pertinere arbitramur.

Secundò ſumi poteſt pro amore benevolentiæ, quo Deus propter ſemetipſum di-

Digitized by Google

ligitur; quæ eſt vera & germana Charitas, de quâ duplex eſt omninò ſententia.

Prima docet, requiri in Sacramento hujuſmodi Charitatem, ex motivo divinæ bonitatis, conceptam, initialem tamen, & imperfectam. Imperfectam vocant, quia non eſt ſummè appretiativa Dei, neque illũ ſuper omnia diligit, ſed eſt complacentia ſimplex, & voluntatis adhæſio ad ejus bonitatem, aliaſque ejus perfectiones per ſe amabiles. Initialem verò appellant, quia viam munit ad perfectam Charitatem, & ad Deum ſuper omnia diligendum.

Hanc

Digitized by Google

Hanc ego ſententiam, datâ ſaltem operâ, non impugno, quam video haud diſplicere nonnullis Attritionis defenſoribus, ipſique chariſſimo Anteceſſori noſtro Patri Joanni Gisberto. Nec dubito quin meritiſſimus Autor, in ſuo, de Pœnitentiâ, tractatu jam parato ad prælum, hujuſmodi ſententiæ, omnem, quâ gaudere poteſt, veriſimilitudinem conciliaturus ſit, ſuâ illâ in cogitando felicitate, in probando ſoliditate, in eloquendo perſpicuitate, ſimul, & dignitate, quæ mirificè elucent, in duobus primis Theologiæ Tomis,

Digitized by Google

publicâ jam luce donatis.

Caſtor. c. 2. §. 5. c. 9. §. 4. Altera ſententia docet, ad efficacitatem Sacramenti Pœnitentiæ, requiri Dei dilectionem. 1. Quæ ſit verus amor benevolẽtiæ, cujuſmodi eſſe dicunt illum, ſeu quo Deus amatur propter ſemetipſum, ſeu quo amatur ut finis ultimus, & ſumma felicitas hominis. 2. Addunt amorem illum debere eſſe ex toto corde, & ſuper omnia, quem idcirco vocant amorem prædominantem. 3. Aïunt ſufficere tamen, ut amor ille ſit initialis & inchoatus, quod ita intelligendum non eſt, ut per illum amorem, Deus, im-

Idem. c. 2. §. 5. c. 9. §. 7.

Ibid.

Digitized by Google

perfecto modo, & non ſuper omnia diligatur, ſed quia, licet Deum amet ex toto corde, & ſuper omnia, eſt tamen minùs intenſus ac robuſtus, quàm qui neceſſarius eſt ad peccatorum veniam, extra Sacramentum, obtinendam

Atque illa eſt ſententia, quam in iſto opuſculo impugnamus, in primis, ob reverentiam Sacramenti Pœnitentiæ, cujus vim & efficientiam illa planè videtur infringere.

Digitized by Google

Facultas Provincialis Societatis JESU, & applicatio Privilegii Regii.

EGo infra ſcriptus Præpoſitus Provincialis Societatis JESU, in Provinciâ Toloſanâ, juxta poteſtatem à Reverendo admodùm Patre noſtro Thyrſo Gonzalez Præpoſito Generali, ad hoc mihi ſpecialiter factam, P. ANTONIO BONETÓ ejuſdem Societatis Sacerdoti, facultatem concedo Typis edendi *Diſſertationem de Timore Pœnitente*, à tribus hujus noſtræ Societatis Theologis recognitam & approbatam.

Et juxtà privilegium conceſſum à Regibus Chriſtianiſſimis Henrico III. 10 Maii 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1605. Ludovico XIII. 14. Febr. 1612. & Ludovico XIV. nunc regnante, 23. Decemb. 1650. quo prohibetur omnibus Typographis & Librariis, nè libros ab hominibus Societatis JESU compoſitos imprimant abſque facultate Superiorum, permitto Joanni & Guillelmo PEKIIS Typographis Toloſanis, ut ſupra memoratam Diſſertationem Typis excudere & vendere poſſint. Datum Toloſæ, die 9. Januarii anno 1694.

BERNARDUS LAYRAC.

Digitized by Google

Approbatio Facultatis Theologicæ Academiæ Toloſanæ.

NOs infra ſcripti Theologiæ Profeſſores in Academiâ Toloſanâ, fidem facimus lectam à nobis *Diſſertationem de Timore Pœnitente*, à P. ANTONIO BONETO Societatis JESU Sacerdote compoſitam, nihilque in eâ obſervatum quod non rectè conſentiat cum doctrinâ Eccleſiæ Catholicæ : imò pergratum accidit nobis quòd opinio in hâc almâ Univerſitate communis, ab Autóre ſolidè ſtabiliatur. Toloſæ die 20. Aprilis. 1694.

CAZEMAJOU Regius Theologiæ Profeſſor ac Decanus, Abbas ſancti Petri de Inſulâ in Medulco, & in Eccleſiâ Metropolitanâ Toloſanâ Archidiaconus Major.

EDMUNDUS RABY Regius Theologiæ Profeſſor.

JOANNES ô BRIEN Profeſſor Regius.

JOANNES GISBERT Profeſſor Regius è Societate JESU.

PETRUS NICOLAS Profeſſor Regius è Societate JESU.

F. BERNARDUS LAPEYRE Doctor Regens Anguſtinianorum.

BERNARDUS LAJOUS Theologiæ Doctor, & Liberalium Artium Profeſſor Regius è Societate JESU.

Digitized by Google

Facultas Ordinarii.

JOannes Raby Doctor in ſacrâ Theologiâ, in Eccleſiâ Metropolitanâ Toloſanâ Archidiaconus, & Vicarius Generalis Illuſtriſſimi D. JOANNIS - BAPTISTÆ MICHAELIS COLBERT Archiepiſcopi Toloſani facultatem concedimus, ut opuſculum quod inſcribitur *Diſſertatio de Timore Pœnitente*, Autore P. ANTONIO BONETO è Societate JESU, à Theologis recognitum in lucem edatur. Datum Toloſæ, die 24. Aprilis 1694.

RABY Vic. Gen.

Digitized by Google

DISSERTATIO

DE TIMORE POENITENTE,

AD AMICUM

Noſtram, eâ de re, ſententiam ſciſcitatum.

SCRIBIS optime ********* verſari te in illis regionibus, ubi magnâ animorum contentione, celebris de Attritione controverſia renovatur; & mirari ais viros probos, ac religioſos, quòd nonnulli Doctores, velut in contemptum divini amoris, in Pœnitentiæ Sacramento ſuffi-

Digitized by Google

cere illam arbitrentur. Hæc in Epiſtolâ tuâ perlegenti mihi veniebat in mentem ſuſpicari, quod multos ſapientes viros ſentire intelligo; nempe, cúm iſtam Attritionis vim potiſſimùm oppugnarit famoſus Auguſtini interpres, voluiſſe pios hoſce homines, dum plura Magiſtri dogmata anathemate feriuntur, ejus doctrinam, ex iſto ſaltem capite, commendare, eumque Orbi Chriſtiano, velut divinæ Charitatis aſſertorem, ac vindicem oſtentare. Verùm rem mitiùs interpretatus, facilè adducor, ut credam, viros, quos dicis probos, iſtic, ut aliis in locis, duplicis eſſe generis; indoctos alios; alios doctos, rerumque Theologicarum apprimè peritos. Et illi quidem, quos videlicet regit affectus potiùs, quàm ipſa vis intelligendi, ſpecie pietatis abrepti,

Digitized by Google

in rigidas quaſque ſententias, pedibus, pronoque capite, protinùs eunt: alii verò rerum momentis accuratè perpenſis, modò ad ſeveriorem ſententiam; modò, prout ratio ſuadet, ad benigniorem, ac paulò molliorem accedunt.

Ex eo veritatis ſtudio fit, ut Theologi quàmplures Attritionis vim acriter tueantur, & ad peccatorum veniam in Sacramento conſequendam, ſufficere illam, multiplici ratione, contendant. Atque ut intelligatur, hâc Atttritionis commendatione, nihil illos de divini amoris præſtantiâ, ac virtute detrahere, fatentur omninò Charitatem inter Theologicas Virtutes, præcipuam eſſe, Dei amorem primum eſſe, ac maximum mandatum, quod hominibus non ſolùm Chriſtiana lex, ſed ratio ac natura ipſa præſcribit.

Digitized by Google

Quod autem nominatim ſpectat ad ejus uſum in Pœnitentiæ Sacramento, qui negant neceſſarium illum eſſe, aſſerunt tamen, utilem, laudandum, multiſque in caſibus, præſertim in mortis articulo neceſſarium.

Verùm non hîc agitur de utilitate ac præſtantiâ, quam omnes prolixè fatentur, ſed de neceſſitate Contritionis. An ſcilicet, cùm peccator aliquis, ignium æternorum imagine ſentit ſe vehementiùs commoveri, eoque metu perculſus de peccatis ſeriò dolet; Quæritur, inquam, an hujuſmodi dolor ad Sacramentum perficiendum, & ad criminum veniam obtinendam planè ſufficiat?

Hoc autem ut aſſeram facit autoritas Concilii Tridentini, illud ipſum, non obſcurè ſentientis; facit reverentia Pœnitentiæ Sa-

Digitized by Google

cramenti, cujus virtus, & efficientia, hâc ratione, meliùs ſtabilitur; facit denique divinæ Charitatis dignitas, atque præſtantia, quibus hæc noſtra ſententia optimè conſulit. Quæ omnia, ut ſpero, certiſſimè conſtabunt, modò animis omni præjudicio vacuis, & partium affectu liberis perpendantur.

DISSERTATIONIS PARS PRIMA.

IN QUA PROBATUR, AUTORITATE CONCILII TRIDENTINI, SUFFICERE ATTRITIONEM IN SACRAMENTO POENITENTIÆ, AD GRATIAM JUSTIFICATIONIS OBTINENDAM.

ATtritionem in Pœnitentiæ Sacramento ſufficere, docere omninò videtur Concilium Tridentinum. Primùm enim cla- Doctr. Conc. Trid. de Cõtrit. ſſ. 14. c. 4.

Digitized by Google

riſſimè ſtatuitContritionem aliam eſſe Charitate perfectam, aliam ex pœnarum metu, & peccati fœditate conceptam: Hoc eſt, dolere homines de peccatis, vel propter Deum, cujus ſanctiſſimum Numen hujuſmodi peccatis offenditur, vel propter eorum turpitudinem, & æternos cruciatus, quibus à Deo in Inferis vindicantur.

eadem ſſ. c. 4. Statuit deinde perfectam illam Contritionem hominem Deo reconciliare, priúſquam Sacramentum actu ſuſcipiatur; imperfectam verò, quæ Attritio dicitur, verum Dei donum eſſe,& Spiritûs ſancti impulſum & ; quamvis ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam, in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam, diſponere.

Quibus verbis Concilium explicat diſcrimen, quod inter Contritionem, & Attritionem intercedit, ab utriuſque, tum naturâ, tum efficientiâ, ac virtute petitum. Primò enim ait Contritionem à Dei amore; Attritionem verò à pœnarum timore oriri; deinde vim ineſſe Contritioni, etiam extrà Sacramentum; Attritioni, non niſi in Sacramento, Juſtificationis gratiam impetrandi. Ex quo diſcrimine certiſſimè patet; Diſcrimen inter Contr. perf. & imperf.

1. Attritionem honeſtam quidem, ac ſupernaturalem eſſe, quamvis non divinæ charitatis impulſu, ſed ex contemplatione turpitudinis peccati, aut pœnarum metu excitetur. Prætereà, vim habere unà cum Sacramento, peccatorum veniam, & Juſtificationis gratiam obtinendi.

Hanc eſſe Concilii mentem, quamquam ex ejus verbis ſuperiùs Conc. Trid. docet

Contr. imperf. juſtificare in Sacram. Prob. multipl. Rat.

adductis apertiſſimè colligatur, ſic tamen ulteriùs ratiocinando confici poteſt. 1. Ut Contritio extra Sacramentum, ſic Attritio in Sacramento hominem diſponit ad gratiam; Atqui ſola Contritio, cum ſpe veniæ conjuncta, abſque ullâ alteriùs, aut actûs, aut virtutis acceſſione, via ad gratiam extra Sacramentum obtinendam certiſſima eſt; ergo eam intra Sacramentum, ſi eadem ſpes veniæ adſit, abſque ullo alio adminiculo, Attritio pariter impetrabit.

2. Rursùs Concilium vim aliquam Attritioni tribuit in Sacramento, quâ omninò careat extra Sacramentum: vis autem illa alia eſſe non poteſt, quàm quòd in Sacramento ipſa proximè, & immediatè, gratiam Juſtificationis obtineat. Si enim hominis pœnitentis animum eà ſolùm ratione ad gratiam & ſanctitatem compararet,

raret, quòd eum ad virtutis nobilioris, puta, ad divini amoris affectum excitaret; eâdem planè extra Sacramentum, hominis cum Deo reconciliandi virtute polleret. Siquidem cùm Attritio res honeſta ſit, ac ſupernaturalis, perinde poterit extra Sacramentum, atque in Sacramento, hominem ad actum præſtantiorem allicere, Deumque Optimum movere, ut affectum ipſi hujuſmodi amoris impertiat.

3. Prætereà Concilium nequaquam docet hominem, Attritionis beneficio ad Contritionem & amorem Dei, aut alium quempiam nobiliorem affectum, ſed ſolummodò ad Dei gratiam præparari.

4. Accedit, quòd Concilium loquatur de eo Dei munere, quod in Sacramento certiſſimè impetratur: Atenim ab iis, qui pœnarum metu exterriti de peccatis do-

lent, certiſſimum non eſt, illum ſeu Dei amorem, ſeu Contritionem impetrari: pauci enim, imò ferè nulli ex hujuſmodi Pœnitentibus experiuntur, interim dum eos Sacerdos noxarum abſolvit, ſe piis illis amoris, aut Contritionis affectibus commoveri. Supereſt igitur, ut gratiam, & ſanctitatem, cujus acceſſus nullo ſenſuum experimento percipitur, certiſſimè conſequantur.

Hæ aliæque argumentationes, quæ è celebri Concilii loco confici poſſunt, in varias, ac multiplices cogitationes, adverſarios diſtraxerunt; adeò ut ſententiæ noſtræ veritas, nullâ ex re clariùs eluceat, quàm ex variis tricis, atque effugiis, quibus hactenùs conati ſunt Concilii mentem eludere.

Primò enim aiunt durum eſſe

Digitized by Google

hominem cum Deo reconciliari abſque ullo, erga optimum parentem, amoris affectu; ac proinde neceſſe eſſe, ut dolor ille, qui in Sacramento, Juſtificationis gratiam impetrat, vel cum Charitate conjunctus ſit, vel ut eum divina Charitas proximè ſubſequatur.

Ratio adverſ. quòd durum ſit hominem abſque Dei amore, cum Deo reconciliari.

Verùm ex quo tandem fonte ſuam illam conjecturam hauriunt iſti divinorun conſiliorum interpretes? Quis certiùs Dei mentem aſſecutus eſt, quàm ipſa Chriſti Eccleſia, ejuſque Oecumenica Concilia, in Spiritu ſancto legitimè congregata? Quis meliùs novit conditiones quas Deus ad obtinendam peccatorum veniam requirit? Atqui ex iis Conciliis unum, illudque celeberrimum Tridentinum, aſſerit Deum, virtuti, & efficientiæ Sacramenti hanc unam conditionem tanquam

Refell. 1. Aut. Conc. Trid.

neceſſariam adjeciſſe, ut peccatorum dolor habeatur ex motivo, ſeu ratione honeſtâ, & ſupernaturali; cujuſmodi eſt pœnarum æternarum metus, aut turpitudo peccati. Vim quidem, & efficacitatem divini amoris, præſertim extra Sacramentum, ſapientiſſima Synodus impensè commendat; at in Sacramento neceſſarium illum eſſe, nullibi planè ſignificat.

2. refel. Deinde, vel Attritio hominis peccata confitentis adjunctam habet Charitatem, vel eam ſubinde trahit, quâ ratione in pannum, aut telam, filum acus inducit; quam ſimilitudinem ſcitè adhibet Auguſtinus, ſed alium prorsùs in uſum. Si primùm; ergo Attritio eadem, quæ in Sacramento diſponit ad gratiam, idem omninò efficit extra Sacramentum, contrà quàm ſentit Concilium Tridenti-

Digitized by Google

num. Omnis enim dolor, ac ſcelerum deteſtatio ex perfectâ Charitate, & Dei amore profecta certiſſimè juvat ad veniam, & gratiam, quovis loco, & tempore, tum intra, tum extra Sacramentum obtinendam. Hoc pluribus in locis Scriptura loquitur; hoc idem ſancit Concilium Tridenti-
„num, cùm ait, Contritionem il- Suprà.
„lam quæ eſt Charitate perfecta,
„hominem Deo reconciliare,
„priuſquàm Sacramentum actu
„ſuſcipiatur.

Si ſecundùm, hoc eſt ſi Attritio in Sacramento, eo ſolùm nomine gratiam impetret, quòd viam muniat ad Charitatem, eandem quoque extra Sacramentum, gratiam obtinebit; cùm utrobique vim habeat ad Charitatem, ac proinde ad gratiam diſponendi.

Intelligo ſolitos reponere adverſarios, Attritione excitari dum-

Digitized by Google

taxat amorem Dei initialem, ac remiſſum, qui ſufficiat quidem in Sacramento, at non extrà Sacramentum; tunc enim ad delendum peccatum, robuſtior Charitas, ac magis intenſa requiritur. Quæ diſtinctio intenſæ, ac remiſſæ Charitatis, ita à propoſito aliena eſt, ut hoc ipſum quod adverſarii objiciunt, ad cauſæ noſtræ firmamentum facilè convertatur, planâ, ac facili argumentatione quàm ſuo loco inferiùs proſequemur.

2. Part. hujus Diſſ.

Interim propiùs explorare juvat rationes quibus adverſarii, qui noviſſimè ſcripſere, præſertim illuſtriſſimus Caſtorienſis, noſtram Concilii interpretationem oppugnant. Cenſet enim ille Patres Tridentinos nihil minus cogitaſſe, quàm ut definirent per verba ſeſſionis 14., quæ modò laudavimus, gehennæ timorem abſolutioni

Joan. Caſtor. Epiſc. de Amore Pœnit. l. 1. c. 23.

conjunctum divinæ amicitiæ hominem reſtituere : contrà verò fuiſſe propenſos in eam doctrinam quæ ſine regnante Deí amore , neminem regenerationi , aut reconciliationi aptum agnoſcit.. Ad hoc autem exiſtimandum , triplici omninò conjecturâ movetur. Primam petit ex Hiſtoriâ Concilii Tridentini , & Theologorum in eo diſputantium ſenſu. Alteram ex fine qui in condendo decreto ſeſſionis 14. Concilio propoſitus erat. Tertiam ex comparatione Baptiſmi , ad quem ritè ſuſcipiendum , præter timorem , Dei dilectio requiritur , ut patet ex capite ſexto ſeſſionis ſextæ.

Probat Conc. Trid. nihil ſtatuiſſe de ſufficien. Attrit.

1. Ejus conjectura ex Hiſt. Conc. Trid.

Primam itaque conjecturam ſic exponit. Cardinalis Pallavicinus ea referens quæ in ſeſſione decimâ quartâ geſta ſunt , ubi de Sacramento Pœnitentiæ agebatur , diſertè tradit complures Theolo-

Hiſt. Conc. Trid. *l.* 12. c. 10. *n.* 24. 25

Digitized by Google

gos, actibus qui ad Juſtificationem in Sacramento diſponunt, Dei dilectionem annumeraſſe. Erant autem illi omninò quinque, Jacobus Laïnius, ſummi Pontificis Theologus, poſtmodùm Societatis Jesu, Præpoſitus Generalis; Jacobus Ferruſius, & Melchior Avoſmedianus Doctores Hiſpani; Bernardus Colloredus Dominicanus, & Franciſcus Contreja, ex ordine Minorum Obſervantium, qui ſententiam omnes ſuam variis Scripturæ locis, & multiplici Sanctorum Patrum teſtimonio confirmarunt.

Rursùm, ſive iſtorum Theologorũ ſuaſu, ſive aliam ob cauſam, paratum fuerat Decretum in hanc formam, inquit idem Pallavicinus, „ Illam Contritionem, quam Attritionem Theologi vocant, „ quòd imperfecta ſit, & ſolùm „ vel ex turpitudinis peccati conſideratione

„ ſideratione, vel ex gehennæ, & „ pœnarum metu concipiatur, „ ſtatuit hæc ſancta Synodus non „ ſolùm non facere hominem „ hypocritam, verùm etiam ſuf- „ ficere ad Sacramenti hujus con- „ ſtitutionem, ac donum Dei eſ- „ ſe... quo Pœnitens adjutus, „ cùm ſine aliquo dilectionis in „ Deum motu eſſe vix queat, „ viam ſibi ad juſtitiam munit, &c. Hæc erat, inquit Hiſtoricus, primæva forma Decreti; ſed cùm ab uno è Patribus interceſſum eſ- ſet, ſublata fuere verba quibus di- cebatur *Attritionem ex metu pœ- narum ſufficere... cùm ſine aliquo dilectionis in Deum motu eſſe vix queat*, Decretumque, ſicuti nunc extat, promulgatum.

Ex quâ Hiſtorici narratione conjiciunt adverſarii, non modò à Patribus Tridentinis nihil de At- tritionis ſufficientiâ definitum,

verùm exiſtimaſſe illos, aut ſaltem propenſos fuiſſe ad exiſtimandū, ſolâ Attritionis, & abſolutionis vi, peccata non condonari, niſi veræ, ac ſummæ dilectionis affectus accedat. Hæc dum ego apud Autores illos legerem, mirabar oppidò viros doctos, & dignitate graves, ita hallucinatos, ut ſententiæ ſuæ, ex eo undè evertitur, firmamentum accerſant. Concilium enim Tridentinum, nec ſtatuiſſe, nec propenſum fuiſſe ad ſtatuendum, neminem Deo, abſque ejus dilectione reconciliari, nihil luculentiùs probat, quàm hæc ipſa rerum in Synodo geſtarum, ab ipſis adverſariis inſtituta, ac producta narratio.

Explic. mens, & locus Conc. Trid.

Diſceptatur in cœtu Patrum ad ſeſſionem prævio, an cum eo dolore qui ad Sacramentum ſufficiat, Dei dilectio neceſſariò conjuncta ſit? Affirmant nonnulli Doctores

Digitized by Google

ſuamque ſententiam aliquot Scripturæ, & Sanctorum Patrum locis, ad rem, ut ipſis quidem videbatur, accommodatis exornant. At Patres plenioribus comitiis, re maturè deliberatâ, omittendam cenſent mentionem divini amoris, neque illum prorſùs inter partes Sacramenti Pœnitentiæ ſaltem neceſſarias, numerandum. Unde ſic liceat argumentari.

Non ea certè Concilii cujuſpiam ſententia dicenda eſt, quam conſtat ab eo, auditâ, ac judicatâ cauſâ, fuiſſe rejectam: Atqui ipſorum adverſariorum confeſſione planè conſtat, in Concilio Tridentino auditam, ac repudiatam eorum Theologorum ſententiam, qui ad efficacitatem Sacramenti, amorem Dei ſimul cum Attritione neceſſarium eſſe cenſebant: neceſſitas igitur illa divini

amoris ad efficientiam Sacramenti, non fuit, ſeu judicio, ſeu propenſione Concilii, ullatenùs ſtabilita.

Neque verò æſtimanda eſt Conciliorum doctrina ex propenſione Theologorum, ad hanc, aut illam partem accedentium, quibus diſputãdi quidem in Conciliis Oecumenicis, non opinandi facultas, ex veteri Eccleſiæ more, conceſſa. Quis enim tam levem conjecturam, non dico, acutus Theologus, ſed ne tenuiſſimus quidem autor viris literatis obtrudat? inveſtiganda eſt Conciliorum mens in Canonibus, & Decretis, quæ demum Patrum omnium, in unam ſententiam coëuntium, ſubſcriptione firmantur.

Conjecturæ pars altera non majori negotio ſolvitur.

Auditis, inquit Hiſtoricus, Theologorum Diſputationibus, expreſ-

Digitized by Google

ſa fuit forma decreti, in quo dicebatur, *Attritionem ſufficere ad Sacramenti conſtitutionem, ac donum Dei eſſe, quo Pœnitens adjutus, cùm ſine aliquo dilectionis in Deum motu eſſe vix queat, viam ſibi ad juſtitiam munit.* At ecce requiſitis Patrum ſententiis, particulam illam [*Attritionem ad Sacramentum ſufficere . . . cùm ſine aliquo dilectionis in Deum motu eſſe vix queat*] Synodus jubet expungi, & reliqua omnia integra retineri. Præclarè omninò. An non hæc eſt merâ adverſariorum opinio; Attritionem eſſe Dei donum, & in Sacramento ſufficere, quia vix hujuſmodi Dei donum ſine aliquo in Deum motu dilectionis exiſtit; ſive, Attritionem ſufficere, quia eſt cum aliquâ Dei dilectione conjuncta? Atqui hoc ipſum, ſi audiatur Hiſtoricus ad cujus fidem provocamur,

BIBLIOTECA ... ROMA

Digitized by Google

hoc, inquam, Concilium reprobat. Dum enim in formâ Decreti, proponuntur actus neceſſarii ad conſtitutionem Sacramenti, pœnarum timorem retinet, Dei dilectionem ſupprimit, ut videre licet in decreto quod extat. Deinde, Concilium non rejicit nudam illam aſſertionem dicentium, Attritionem ex metu pœnarum in Sacramento ſufficere, ſed rejicit cauſalem illam, ut vocant, Attritionem ideò ſufficere, *quia ſine aliquo dilectionis in Deum motu eſſe non poteſt.* Cùm autem, ut diximus, adverſarii genus illud Attritionis, cum Dei dilectione conjunctum, in Sacramento requirant, Concilium reprobat eorum ſententiam, ſimulque ſignificat Dei amorem idoneum quidem eſſe, at non planè neceſſarium ad efficacitatem Attritionis & Sacramenti.

Digitized by Google

Atque hæc ſunt, quæ ex Hiſtoriâ Concilii Tridentini, quam adverſarii opponunt, clariſſimè deducuntur. An ex illis arguatur Synodum noſtræ aut illorum ſententiæ favere, ſtatuant æqui rerum æſtimatores?

Cùm autem Societatis JESU Theologi qui Concilio aderant, Laïnius, Jaïus, aliique, in fronte eorum collocantur qui abſque Dei amore, Pœnitentiæ Sacramentum irritum eſſe exiſtimabant, intelligo quid adverſarii velint, nempe nos, qui jam aliud ſentimus, à majorum doctrinâ, & priſcis moribus deſciviſſe. At intelligant ipſi velim, ita nos ex Chriſti præcepto, Eccleſiæ autoritatem revereri, ut neque nos majorum doctrinæ, neque majores noſtri ſuæ ipſorum ſententiæ adhæreant, ubi aliud videatur ab Eccleſiâ definitum. Uti- Caſtor. ibid.

nam, & qui tantum divini amoris ſtudium præ ſe ferunt, ſic optimæ parentis, & magiſtræ dicto audientes eſſent, & ſummorum Pontificum conſtitutionibus parem reverentiam exhiberent.

2. Conjectura adverſ. de méte Conc. Trid. ex fine Decr.

Alteram conjecturam de mente Concilii Tridentini, circa neceſſitatem divini amoris, petunt à fine Decreti, in quo dolor ad Sacramentum neceſſarius ſtabilitur. Sic enim adverſarii ratiocinantur. Cùm illud in primis Concilio propoſitum eſſet, ut Lutheri errores refelleret, ac damnaret, id potiſſimùm definitum voluit quod Lutherus reprehendebat. Dictum hactenùs omninò ſapienter. At ex eo principio concluſiones eliciunt inter ſe ita pugnantes, ut non aliunde meliùs, quàm ex eâ in opinando inconſtantiâ, ſententia noſtra confirmari poſſit.

Refell. Cójec.

Primò enim, ait unus ex illis, cùm Lutherus

Lutherus non diſputaret an dolor ex gehennæ metu ſufficeret in Sacramento, ſed ſolùmmodò contenderet hujuſmodi metum vitioſum eſſe, ac genus quoddam hypocriſis; primum illud Concilium definire non debuit, ſed alterum dumtaxat, de quo potiſſimùm agebatur. De illo autem altero controverſiæ capite, conceptis verbis, ſancivit, dolorem, ex gehennæ, & pœnarum metu conceptum, non ſolùm non facere hominem hypocritam, verùm etiam Dei donum eſſe, & Spiritûs ſancti impulſum. Epiſc. Caſt. l. 1. c. 23. §. 1.

Mox idem autor, velut eorum oblitus quæ paulò ante dixiſſet, ait Lutherum, & ſervilem Attritionem reprobaſſe, & Romanam Eccleſiam calumniari ſolitum, quòd præceptum divini amoris infringeret, crederetque homines per virtutem Sacramen-

Digitized by Google

ti juſtos effici, quamquam Deum omnis ſanctitatis, ac juſtitiæ fontem non amarent. Quare, ut Concilium hominis improbitatem, calumniamque retunderet, non modò Attritionem vindicare debuit, ſed ulteriùs declarare, neminem in Sacramento, abſque Dei dilectione, peccatorum veniam, ac Juſtificationis gratiam obtinere.

Itaque, ſi autori ſolertiſſimo fides, nihil à Concilio Tridentino definitum eſt, an Attritio in Sacramento ſufficiat; cùm id Concilium non attigerit de quo Lutherus non diſputaret: & ſimul eam non ſufficere definitum, quandoquidem Concilium, ad diluendam aliam Lutheri calumniam, aſſerit ad percipiendum Sacramenti fructum, præter Attritionem neceſſe omninò, ut Deus optimus fons omnis ſan-

Digitized by Google

ctitatis, ac juſtitiæ diligatur. Quis credat interpretem illum Concilii mentem aſſecutum, qui ſapientiſſimam Synodum pugnantia loquentem inducat?

Annon ille ad Concilii ſenſum propiùs videatur accedere, qui ex ipſis hujus autoris principiis ita ratiocinetur? Concilium illud definiit quod à Luthero in controverſiam vocabatur; Pœnitentiam illam, ac dolorem aſſerüit, quem Lutherus oppugnabat: Atqui Lutherus (ſunt verba illuſtriſſimi Caſtorienſis, Lutheri mentem interpretantis) Lutherus, inquam, eam Pœnitentiam reprobabat, in quâ homines juſti efficiuntur per opus operatum „ Sacramenti, quamvis nec juſti„ tiæ fontem diligant, nec ſummo „ bono, ſuo affectu adhæreant. Rurſum, ad veram Pœnitentiam, irritum, imò peccatum, ac Ibid. c. 23.

hypocriſis genus eſſe cenſebat, dolorem illum qui ex timore gehennæ, non ex amore juſtitiæ oriretur; ut Lutheri ſermonem de Pœnitentiâ, & Lipſicam diſputationem legenti liquidò certóque conſtabit. Concilium igitur, Pœnitentiam etiam illam, quæ cum Dei amore conjuncta non eſt, ſuo decreto commendat, & dolorem ex timore gehennæ excitatum, ad Pœnitentiam Sacramentalem, idoneum, ac ſufficientem eſſe pronunciat. Equidem utrumque illud ſapientiſſimam Synodum decernere oportuit, ſi voluit Lutheri doctrinam evertere, oppoſitáque ejus erroribus documenta ſancire.

Luth. ſerm. 2. de Pœnitent. diſp. Lipſ. c. Ekium.

Denique, cùm ex mente adverſariorum, Concilio Tridentino propoſitum fuiſſet Lutheri audaciam retundere, qui

Digitized by Google

Eccleſiam calumniabatur, quaſi tradiderit Sacramentum Pœnitentiæ, abſque bono motu ſuſcipientium, gratiam conferre; ſi Concilio viſum eſſet Dei dilectionem, quam Lutherus maximè commendabat, materiam eſſe neceſſariam Sacramenti, hoc uno verbo convitium repuliſſet. Quid jactas homo fraudulente, doceri à nobis quòd, abſque bono motu, gratia in Sacramento conferatur? Annon Dei dilectio, quam neceſſariam aſſerimus, optimus eſt, ac præſtantiſſimus mentis affectus? De hoc tamen ſilet omninò, unumque illud affirmat, Attritionem quæ ex gehennæ, & pœnarum metu concipitur, & quæ hominem ad gratiam in Sacramento diſponit, donum Dei eſſe, & Spiritûs ſancti impulſum. Iſtud ſanè Patrum Tridentinorum de divinâ dilectione ſi-

Digitized by Google

lentium, cùm ejus mentio tam opportunè cadere videretur, indicat non agnitam ipſis, ut materiam neceſſariam Sacramenti.

Tertia Cõject. Adverſ. ex ſimilitud. Bapt. & Pœnit.

Tertia conjectura, quam Autores iſti cupidiſſimè alii ab aliis exſcripſere, petitur à ſeſſione ſextâ Concilii Tridentini, ubi Synodus Dei amorem annumerat virtutum actibus neceſſariis utique, ad veram adultorum Pœnitentiam, antequam ſacrum Baptiſma ſuſcipiant. Sic enim Concilium loquitur, capite ſexto jam memoratæ ſeſſionis. *Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum fidentes Deum ſibi fore propitium, eum tamquam juſtitiæ fontem diligere incipiunt, &c.* Ex quibus ſic poteſt confici ratiocinatio. Cùm Pœnitentia, perinde atque Baptiſmus, ſit Sacramentum reconciliationis, eadem ſanè ad utrumque requiritur præparatio: Atqui

Conc. Trid. ſeſſ. 6.

Digitized by Google

Dei dilectio ad Baptiſmum eſt præmittenda, ergo etiam ad Pœnitentiæ Sacramentum.

Omiſſis in præſentiâ, quæ ad hujuſmodi argumentationem, eximii jam Theologi cumulatiſſimè reſponderunt; mihi ſanè videtur falſam eſſe utramque propoſitionem. Primam quidem, quia cùm Chriſto autori Sacramentorum integrum fuerit, ritum, modumque decernere, quo illa ſuſcipienda forent, potuit ad Baptiſmum adultorum, Dei dilectionem, ad Pœnitentiæ Sacramentum, actum virtutis inferioris præſcribere.

Refell. ex diſcrim. præparat. ad utrumque Sacram. requiſitæ.

Ratio autem diſcriminis petenda eſt à virtute, & efficacitate quam Chriſtus tribuit Sacramentis, & cui conſultum inprimis voluit Synodus Tridentina.

Quamvis enim dolor ex amore Dei ſuper omnia, qui vim ha-

Digitized by Google

bet hominem cum Deo reconciliandi, ad Baptiſmum adultorum requiratur; erit nihilominùs Baptiſmus efficax ad gratiam conferendam; quia licèt illud non præſtet erga adultos, jam Contritionis ope, juſtitiam adeptos, in infantibus tamen, aliiſque uſu rationis carentibus, vim illam ſuam atque efficacitatem expromet. Si verò hujuſmodi dolor ſacræ abſolutioni neceſſariò præire debeat, nihil illa umquam efficiet, nec veniam, gratiamque illis impertiet, qui, vi Contritionis, fuerint noxarũ jam omnium abſoluti.

Accedit, quòd dolor nequaquam ſit pars, aut materia Baptiſmi, ſit autem pars, & quaſi materia Pœnitentiæ Sacramenti. Cùm ergo, ut dicetur inferiùs, Chriſtus ex propensâ in homines benignitate, voluerit ad Sacramenta materiam obviam, & parabilem

Digitized by Google

rabilem adhibere, viſum eſt optimo legiſlatori, ad Pœnitentiæ Sacramentum, dolorem ex metu ſufficere, qui faciliùs quàm puriſſima Dei dilectio, in frigidis, obtuſiſque hominum mentibus excitetur.

Venio jam ad alteram propoſitionem, quam pariter falſam eſſe contendo. Cùm enim Concilium aſſignat actus neceſſarios ad Pœnitentiam adultorum, qui nondum ſacro fonte abluti ſunt, non loquitur de eâ Pœnitentiâ, quæ ſit proxima præparatio ad Baptiſmum ſuſcipiendum, ſed de illâ quam agere oportet Cathecumenos illos qui, divino mentis inſtinctu, ad amplectendam Religionem Chriſtianam excitati, ſacrâ undâ aſpergi non poſſunt, ſeu quia apud homines à fide alienos, idonei Miniſtri operâ carent; ſeu quia co-

Digitized by Google

rum Baptiſmus, ut plurimùm differri ſolet, quò probetur eorum fides, atque conſtantia, priuſquam Chriſtianis Myſteriis initientur. Cùm enim eo temporis intervallo, in mortis periculo verſentur, debent ſanè, quod Baptiſmi beneficio nondum licet, Chriſtianæ Pœnitentiæ merito, cum Deo Optimo gratiam, ac pacem inire. Quod nemo ſanè dubitet factitatum olim à primariis, & principibus viris, qui diutiùs Cathecumenorum in numero conſiſtentes, Baptiſmum ad extrema vitæ tempora differebant.

Porrò de hujuſmodi Pœnitentiâ, illo Seſſionis ſextæ capite, ſermonem eſſe, ex eo patet, quòd Concilium enumerans virtutum actus è quibus illa efficitur, & conflatur; fidei, timori, ſpei, dilectioni, & dolori, Baptiſmi votum adjungit. *Diſponuntur ad ju-*

Digitized by Google

ſtitiam, fidem ex auditu concipientes....& dum peccatores ſe eſſe intelligentes, à divinæ juſtitiæ timore, ad conſiderandam Dei miſericordiam, in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propitium fore; illumque tamquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adverſus peccata, per odium ac deteſtationem... denique dum proponunt ſuſcipere Baptiſmum. Ex quibus ſic liceat argumentari. Ea non eſt Pœnitentia Baptiſmalis, ſive Pœnitentia in actuali Baptiſmi receptione requiſita, quæ Baptiſmi votum includit: Atqui Pœnitentia de quâ, eo loco Concilium agit, Baptiſmi votum includit: Ergo, &c. Conc. Trid. ſſ. 6.

Res alterius loci appoſitione illuſtratur. Concilium capite 14. ejuſdem Seſſionis ſextæ, agens de eorum Pœnitentiâ qui poſt Baptiſmum lapſi ſunt, *Docet Chriſtia-*

Digitized by Google

ni hominis Pœnitentiam, poſt lapſum, multò aliam eſſe à Baptiſmali; eâque contineri non modo ceſſationem à peccatis, & eorum deteſtationem ... verùm etiam eorumdem Sacramentalem Confeſſionem, ſaltem in voto, & ſuo tempore faciendam. Nemini profectò veniat in mentem dubitare, quin iis verbis, *Confeſſionem ſaltem in voto, & ſuo tempore faciendam*, ſignificetur ea Pœnitentia, quæ fit extra Sacramentum Confeſſionis, quando non eſt facilis ad eam acceſſus: ergo etiam ex ſimilibus verbis *dum proponunt ſuſcipere Baptiſmum*, rectè colligitur Concilium eam Pœnitentiam deſignaſſe, quæ fit extra Sacramentum Baptiſmi; hoc eſt, eo toto tempore, quo contingit Cathecumenos ad Baptiſmi beneficium non admitti.

Si enim Concilium ad Pœnitentiam, quæ proximè & imme-

Digitized by Google

diatè diſponit ad Baptiſmum, & Confeſſionem, hanc Sacramenti ſponſionem, & votum poſtulaſſet, præſcripſiſſe utique videretur vitioſam hanc formulam, quam in rudioribus hominibus reprehendere ſolemus: Illi enim, ubi ſua peccata Sacerdoti in aurem declararunt, doleo (inquiunt) ex toto corde, de his meis peccatis, & ſimul ſpondeo me ea emendaturum, & Sacerdoti quantociùs confeſſurum. En ſanè, in ipſo Confeſſionis uſu, redundantem, ac ſupervacaneam additionem. Abſit tam iniqua ſuſpicio à celeberrimæ Synodi ſapientiâ!

Itaque, juxta ſecundam iſtam reſponſionem, par eſt omninò duorum Sacramentorum conditio, & ſimilis ad utrumque præparatio. Nempe, ut conſulatur eorum efficacitati, non requiritur neceſſariò Contritio cum amore conjuncta,

Digitized by Google

in eâ Pœnitentiâ, quæ proximè ad illa ſuſcipienda diſponit. In eâ verò quæ fit ſeorſum ab hujuſmodi Sacramentis, adhiberi oportet tum eorum votum, tum Dei dilectionem, quibus videlicet ſeu Baptiſmi, ſeu Confeſſionis abſentia & efficacitas ſuppleantur.

Stet ergo à verbis ſeſſionis ſextæ, & comparatione Baptiſmum inter, ac Confeſſionem, non peti certiorem conjecturam, quàm à mente Concilii in damnandis Lutheri erroribus, aut à narratione rerum in eo geſtarum, ad probandum, deſideratam à ſanctâ Synodo Dei dilectionem, ſimul cum dolore illo, quem ſtatuit materiam eſſe, unamque è partibus Pœnitentiæ Sacramenti.

Verum Superioribus his noſtris animadverſionibus, velut inſigne ac palmare corollarium addendum eſt, quòd licet ma-

Digitized by Google

ximè vera eſſent quæ ab adverſariis adducuntur, non probarent utique, Concilium Tridentinum eorum ſententiæ favere, quæ videlicet doceat non amorem qualemcumque; ſed amorem ex toto corde, amorem ſuper omnia, ad Sacramentum Pœnitentiæ requiri. Hoc enim ex memoratis & excuſſis, ſeu Hiſtoriæ, ſeu ipſius Concilii locis, nullâ ratione colligi poteſt. Aſſignent enim locum unum ubi hujuſmodi amoris neceſſitas ſanciatur? In ſeſſione quidem ſextâ, monentur ii, qui ad Baptiſmum accedunt, ut Deum *tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiant*; at non præcipitur, ut eum, niſi velint Baptiſmi fructu, & gratiâ carere, ut eum, inquam, ſuper omnia diligant. Poteſt enim Deus omnis juſtitiæ ac ſanctitatis origo, alio quàm ſuper omnia, nempe ſimplicis complacentiæ

Digitized by Google

amore, cum laude & utiliter diligi.

Deinde cùm ab Hiſtorico refertur paratum fuiſſe Decretum, in quo dicebatur, Attritionem, quæ ad Sacramentum ſufficit, *ſine aliquo dilectionis in Deum motu eſſe non poſſe*; nemo ſanè, niſi gratis, atque ex privato affectu, hujuſmodi motum, dilectionem ex toto corde, & ſuper omnia, interpretetur. Quin & Hiſtoricus ipſe Cardinalis Pallavicinus, qui in ſuo tractatu de Pœnitentiâ, Dei dilectionem ad Sacramentum requirit; non ille quidem ex toto corde, & ſuper omnia, ſed aliquem dumtaxat, aut aliqualem amorem neceſſarium eſſe contendit. Pervidebat ſcilicet Concilii mentis & ſenſûs indagator ſolertiſſimus, illud unum, ad ſummum, ex rebus in eo geſtis, confici poſſe.

l. 7. c. 12.

Aliorũ Autorũ Object.

Ex iis quæ jam diximus, diſſolvendo Superiores adverſariorum con-

conjecturas, ſatis patet quàm inanis ſit autoris illius Gallici confidentia, qui ita clarè Concilii mentem ſibi videtur introſpexiſſe, ut planè affirmet ſolvi non poſſe argumenta, quibus aït demonſtrare ſe, nihil ab eo, de Attritione ad Sacramentum ſufficiente conſtitutum. Age verò, exploremus an hominis rationes ita inextricabiles ſint, ut ad ſolvendum, aut frangendum nodum, Theologi omnes, qui ſunt in contrariâ ſententiâ, debuerint provocari.

• De la Contrit. par un Abbé, à Louvain, chez Ber. Maſius 1676.

1. Ratio eſto; ſi animus Concilio fuiſſet, quæſtionem de Attritione definire, illud omninò præſtitiſſet in Canone quinto Seſſionis decimæ quartæ, ubi virtutis illius naturam & dotes exponit. Atqui eo loco id unum ſtatuit, contra Lutherum, Attritionem non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; ſed

1. Object.

eſſe illam, verũ, & utilem dolorem, atque ad gratiam præparare; an verò ad Sacramentum abſque dilectione ſufficiat, nè unum quidem verbum, aut tenüiſſimus apex, eo toto Canone habetur.

Reſp. En mancam omninò, debilemque argumentationem: Cùm enim, ut ex ipſo Seſſionis titulo conſtat, Concilii doctrina non ſolùm in Canonibus contineatur, verùm etiam in capitibus antecedentibus, ubi res fuſiùs explicantùr, voces decretoriæ, quibus Attritionis in Sacramento efficacitas declaratur, habentur capite quarto. *Et quamvis ſine Sacramento Pœnitentiæ, per ſe, ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam, in Sacramento impetrandam diſponit.* Fac igitur Concilium in Canone quinto, nullam habuiſſe mentionem Sacramenti Pœni-

ſſ. 14.

Digitized by Google

tentiæ, an non potuit alio loco, nempe in modo laudato capite, & quidem diſertis, ut dicebam verbis, illius meminiſſe?

Accedit, quòd cum doctrina in ſeſſionum ſingularum capitibus fuſiùs expoſita, in Canonibus deinde, quaſi compendio tradatur; cuilibet accuratè perlegenti patebit, Canonem illum quintum, ad caput Seſſionis quartum referri; adeóque, dum in Canone dicitur, *Contritionem quæ paratur... ponderando... amiſsionem æternæ Beatitudinis, & æternæ damnationis incurſum, eſſe verum, & utilem dolorem, & præparare ad gratiam*; intelligendum omninò, quòd ad gratiam præparet in Pœnitentiæ Sacramento, prout in quarto capite declaratur.

Denique, quod mirum eſt ab autore illo minimè obſervatum, cùm Canon ille quintus ſit tan-

tum continuatio, & fuſior explicatio Canonis quarti ſuperioris, ſermo eſt in Canone quinto, de eâ Contritione, de quâ in quarto Canone agebatur: Atqui hîc agebatur de Contritione ſacramentali, ergo etiam in Canone quinto. Itaque cùm in Canone quinto dicitur, *Eam Contritionem, quæ paratur ponderando amiſſionem æternæ Beatitudinis, & æternæ damnationis incurſum, eſſe verum, & utilem dolorem, & præparare ad gratiam*; intelligitur ſanè ea Contritio, quæ in Canone quarto dicitur pars, & materia Sacramenti.

2. Objeɛt. Alteram rationem ita proponit. A temporibus Concilii Tridentini, quamplures omnium Ordinum, atque Academiarũ Theologi docuere, in Pœnitentiæ Sacramento neceſſariam eſſe Dei dilectionem; neque reclamarunt ſummi

Pontifices, Epiſcopi, & Academiæ, à quibus utique acriter reclamandum, ſi foret contraria ſententia à Concilio definita.

Satis equidem mirari non poſſum hujus Autoris confidentiam, qui afferat adverſus hanc ſuam ſententiam nec Eccleſiæ Præſules, nec Academias reclamaſſe, cùm ipſemet Decretum exhibeat Scholæ Sorbonicæ, quo illa opinio gravi cenſurâ perſtringitur. Hæc ſunt verba Decreti, anno 1638. die primâ Julii, promulgati. Reſp.

„ Quæ tradit Autor de Attritio-
„ nis inſufficientiâ, & Contritio-
„ nis ex perfectâ charitate, ab-
„ ſolutâ neceſſitate, ad recipien-
„ dum Sacramentum Pœnitentiæ;
„ & quæ addit, & approbat de
„ Abſolutione, quod nihil aliud
„ ſit, quàm declaratio juridica
„ peccati jam remiſſi, damnavit
„ quoque facultas, & cenſuit, has

Decr. Scholæ Sorbon. contra nõnull. prop. Comment. in libr. de ſanctâ virginitate.

„propoſitiones eſſe quietis anima-
„rum perturbativas; communi,
„& omnino tutæ praxi Eccleſiæ
„contrarias; efficaciæ Sacramenti
„Pœnitentiæ imminutivas; &
„inſuper temerarias, & erroneas.

Atque ut omne Adverſario præcludatur effugium, obſervandum eſt, vocibus illis, DAMNAVIT FACULTAS, ET CENSUIT HAS PROPOSITIONES, ſignificari, eſſe hîc duas Propoſitiones, & utramque eâ cenſurâ notari; unam de abſolutâ neceſſitate perfectæ charitatis, ad valorem Sacramenti; alteram, quòd abſolutio ſit mera declaratio peccati remiſſi. Quod ſanè judicium celeberrimæ facultatis, eſſe debet maximi, apud Theologum Pariſienſem, ponderis, & momenti, unáque hæc Academia plurium inſtar Academiarum. Quòd verò neque Roma-

Digitized by Google

ni Pontifices, neque alii Eccleſiæ Antiſtites, acriùs repugnarint, ex eo factum, quòd non videretur illa ſententia à Concilio, expreſsè, apertèque damnata.

Quâ eâdem reſponſione infringitur vis tertiæ argumentationis, quam ex decreto Alexandri ſeptimi, autor ille contexuit. Pontifex, inquit, die quintâ Maii, anno 1667. de iſtâ, circa Attritionem; controverſiâ Decretum promulgavit; in quo, factâ partibus poteſtate ſentiendi quod vellent, prohibuit nè altera alteri ullam contumeliæ notam inureret. Atenim, ſi Concilium, pro Attritionis in Sacramento ſufficientiâ, pronuntiaſſet, non ſanxiſſet equidem Pontifex, nè oppoſita ſententia aliquo cenſuræ genere notaretur. Quare cùm id nominatim, graviterque vetuerit, ſapientiſſimo Pontifici injuriam faciunt, 3. Objeſt.

& judicium Eccleſiæ prævertunt, qui hujuſmodi opinionem, hæreſis, aut erroris inſimulant.

Reſp. Reſpondetur, inquam, non ita expreſsè, certóque à Tridentinâ Synodo definitum, Attritionem in Sacramento ſufficere, ut res formaliter, quod aïunt, ad fidem pertineat; ac proinde opinio contraria non eſt hæreſum, aut errorum in numero reponenda. Quare Alexandri ſeptimi conſtitutioni injuriam faceret, qui opinionem aſſerentẽ aliqualis dilectionis neceſſitatem, hæreſis, aut erroris argueret; verùm ad Pontificis ſenſum accedit, qui ſententiam negantem tuetur, in quam propendere ſanè videtur optimus Pontifex, cùm ait, illam, inter Doctores Theologos, communiorem eſſe. *Sententiam*, aït, *ſive negantem neceſſitatem aliqualis dilectionis Dei, in præfatâ Attritione, ex me-*

tu

tu gehennæ conceptâ , quæ hodie inter Scholaſticos communior videtur.

Adde quod, Decretum Alexandri ſeptimi non favet Scriptori Gallico , ejuſdemque diſciplinæ Autoribus , quos præcipuè impugnamus , qui amorem Dei ſuper omnia, licet initialem tantùm, ſeu remiſſum , ad efficientiam Sacramenti neceſſariuṁ eſſe contendunt. Decretum enim conditum eſt , in gratiam dumtaxat alterius Theologorum Claſſis , de quâ in ipſo hujus opuſculi exordio diximus, qui non amorem ſuper omnia , ſed aliqualem dilectionē cum Attritione requirunt. *Alterutram ſententiam* , inquit Pontifex , *ſive negantem neceſſitatem* ALIQUALIS *dilectionis Dei , ſive aſſerentem , &c.* Et verò moderatioris hujus ſententiæ duces ac patroni Eſparſa , & Cardinalis Pallavici-

nus, qui Decretum ab Alexandro Pontifice impetrarunt, non eò certè ſpectabant, ut ſententiæ de amore Dei ſuper omnia, quam acriter oppugnabant, conſultum vellent; neque item ut noſtram ſcholis Catholicis prohiberent, quam intelligerent doctorum torrente ſubvectam; ſed ut ſuæ ab omni adverſariorum convitio, atque cenſurâ tutam eſſe liceret.

Atque hæ ſunt tum conjecturæ, tum rationes quibus adverſarii contendebant nihil à Concilio Tridentino de Attritionis ſufficientiâ conſtitutum. Verùm ut intelligant quàm bonâ fide diſputemus, quantúmque cauſæ noſtræ æquitati confidamus, placet eorum rationibus, aliàs nec fortè leviores adjungere.

4. Object. Ex hactenus dictis omninò conſequitur, ſententiam quæ aſſerit

Digitized by Google

Attritionem in Sacramento ſufficere, cùm certum omninò, evidenſque non ſit fuiſſe à Concilio definitam, ſummum quidem probabilitatis gradum obtinere; non tamen probabilitatis metas excedere. Benè habet. Sic enim liceat ratiocinari. Conſentiunt Theologi ferè omnes, ipſique opinionum minùs probabilium defenſores, materiam dubiam incertamque, ubi certæ, ac tutæ copia ſuppetit, ad Sacramenta adhiberi non poſſe. Atqui Attritio, ſive dolor ex metu, eſt materia dúbia, quia non eſt uſquequaque certum, ſed tantùm probabile, adeóque dubium incertumque, an illa ſit ad Sacramentum idonea: ergo Attritio ad Sacramentum adhiberi non debet, ſed excitanda Contritio, quam nemo dubitet ad Sacramentum ſufficere.

Digitized by Google

Confirmari idem poteſt Decreto Innocentii undecimi, ubi inter tres, & ſexaginta Propoſitiones cenſurâ notatas, iſta habetur, *Non eſt illicitum in conferendis Sacramentis, ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore*. Cùm enim opinio, quæ docet Attritionem in Sacramento ſufficere, non omninò certa, adeóque dumtaxat probabilis ſit; quæ verò Dei dilectionem requirit, longè tutior ſit, non licet planè, ſalvâ Decreti reverentiâ iſtam rejicere, illam amplecti.

Reſp. & explic. Decr. Innoc. XI.

Ut à poſteriori iſtâ animadverſione, nodi ſolutionem aggrediar, patet omninò ex verbis Decreti, ſpectare illud ad Miniſtrum conferentem, non ad eum qui ſuſcipit Sacramentũ. Hæc eſt enim propoſitio quæ dãnatur. *Non eſt illicitũ* IN CONFERENDIS SACRAMENTIS, *ſequi opinionem probabilem*,

relictâ tutiore. Verbi gratiâ, cùm Baptiſmi Miniſter copiam habet materiæ certæ, & materiæ probabilis dubiæque, putà aquæ naturalis, & aquæ, quam ſuſpicatur artificialem, tenetur ille, aquâ naturali infantem abluere; quia tum Chriſti inſtituentis præceptum, tum reverentia Sacramenti cogunt, certam à Miniſtro materiam adhiberi.

Verùm qui ad Sacramentum accedit, quique ad illud ritè ſuſcipiendum, nonnullos virtutum actus, velut partes, & materiam Sacramenti adhibere debet, non tenetur continuò tutiores ad ſalutem, ac perfectiores elicere. Res declaratur exemplo. Concilium Tridentinum, quod Contritionem, idem & Confeſſionem inter partes Sacramenti Pœnitentiæ numeravit. Rursùs, ut Contritio duplex eſt, imperfecta una ex me-

tu pœnarum, perfecta alia ex motivo amoris; ita Confeſſio multiplex eſt, alia Confeſſio circumſtantiarum quæ mutant ſpeciem peccati; alia circumſtantiarum quæ non mutant ſpeciem, ſed malitiam augent, intra eamdem ſpeciem peccati. Demùm ut inter Theologos controverſia eſt, an ea Contritionis ſpecies, quæ Dei dilectionem includit, ad Sacramentum Pœnitentiæ requiratur; ſic diſceptatur ab ipſis, an ſecundum iſtud Confeſſionis genus, circumſtantiarum videlicet, quæ peccati malitiam augent, ſpeciem tamen non mutant, ad valorem Sacramenti neceſſarium ſit, atque à Concilio comprobatum. Sanè conſtat opinionem affirmantem tutiorem eſſe, ac valde probabilem. quam defendit Suarez, cum multis magni nominis Theologis quos adducit. Ne-

mini tamen veniat in mentem aſſerere, vi iſtius Decreti, pœnitentes jam teneri, in Confeſſione, eas circumſtantias, quæ non mutant ſpeciem, aperire. De Contritione, ex motivo amoris; idem prorsùs ſentiendùm; de eâ videlicet, quamquam tutior ſit, nihil Innocentii Decreto conſtitutum.

Redeo jam ad primam argumentationem, de materiâ Sacramenti certâ, dubiæ, incertæque præferendâ; cujus etiam ſolutio, ad difficultatem ex Innocentii Decreto petitam, accommodari poteſt. Dico igitur argumentum vim nullam habere, ab iis emiſſum, qui initialem amorem Dei ſuper omnia, ad Sacramentum requirunt, cum quibus, hæc potiſſimũm inſtituta eſt diſputatio.

Primò quia plus probat, ſeu vim majorem obtinet quàm Adverſarii velint. Probat enim Con-

tritionē charitate perfectam, eam ſcilicet quæ ſcorsùm à Sacramento, hominem poteſt cum Deo reconciliare, ad Sacramentum Pœnitentiæ neceſſariò adhibendam; quod tamen ipſi, ob reverentiam Tridentinæ Synodi, non contendunt. Hoc autem ipſiſſimâ eorum ratione conficitur; quia nempe illa ſententia tutior eſt, & charitas perfecta Pœnitentiæ materia certior, quàm tenüe illud charitatis initium. Unde enim adverſariis certò conſtat, charitatem tenuem, inchoatam, remiſſam, ſufficere, eſſeque certam, ac idoneam materiam Sacramenti? Id enim nullo Tridentini, aut alterius Concilii Decreto ſancitur; neque verò ab ipſis adverſariis clarè, & evidenter explicari poteſt, quæ ſit natura hujuſmodi charitatis inchoatæ, quæ habeat vim in Sacramento obtinendi veniam pecca-

Charitas remiſſa non eſt certa materia Sacram.

peccatorum, non tamen extra Sacramentum; quæ Deum ſupra omnia diligat, nec tamen ſit vera ad Deum converſio; quæ Deum incipiat diligere, & quidem amore benevolentiæ, ac pluſquàm res omnes creatas, & tamen à Sacramenti conſortio ſegregata, non expellat peccatum, ſed ſimul cum illo, in eâdem voluntate conſiſtat. Opinio certè quæ hujuſmodi Charitatis actum, inter Chriſtianas virtutes numerat, extra metas probabilitatis non excedit, ac proinde actus ille eſſe non poteſt certa materia Sacramenti. Quamobrē, ſi in tractandis Sacramentis, Chriſtiana lex jubeat, ut qui ea ſuſcipiūt, ſequantur ſententiam tutiorem, ac certam materiam adhibeant; nentur ſanè pœnitentes ad Sacramentum accedere, cum Contritione, & Charitate perfectâ, quàm tamē ipſi adverſarii fatentur

àTridentinoConcilio non requiri.

Itaque, ut in noſtrâ, eorumque ſententiâ, conſulatur autoritati, doctrinæque Concilii, dicendum omninò non teneri Pœnitentes dolorem elicere, ex initiali amore ſuper omnia conceptũ, tanquam materiã neceſſariam Sacramenti.

Attrit. eſt certa materia Sacrã.

2. Non favet adverſariis ſuperius argumentum petitum à materiâ Sacramenti; quia Attritio ex ſolo pœnarum metu, eſt certa materia Sacramenti. Ratio eſt, quia certa materia Sacramenti Pœnitentiæ, eſt Contritio in genere, quæ ſit dolor ac deteſtatio de peccato prætêrito,cum propoſito non peccandi, abſtrahendo, ut aiunt, an ea contritioCharitate perfecta ſit, an ſolo pœnarum timore concepta. Unde fit, ut quælibet Contritionis ſpecies, quæ ſub eo genere continetur, ſive illa ex Dei amore, ſive ex pœnarum timore

Digitized by Google

eliciatur, ſit certa, ſeu certò ſufficiens materia Sacramenti.

Sic autem hæc noſtra ratio probari poteſt. Ea eſt certa materia Sacramenti, quam, certo Eccleſiæ decreto, conſtat à Chriſto deſignatam: Atqui ab Eccleſiâ, in Concilio Tridentino, id unum conſtitutum eſt, fidem, & incuſſos conſcientiæ terrores, quod Lutherus contendebat, non eſſe partes, ſeu materiam Pœnitentiæ, ſed unà cum ſatisfactione, & confeſſione, veram animi Contritionem, *quæ ſit dolor, ac deteſtatio de peccato præterito, & quæ omnem peccandi voluntatem excludat.* An verò hujuſmodi dolor, à Dei dilectione, vel à metu pœnarum oriri debeat, Pœnitentium voluntati, arbitrioque permiſſum. Quare, qui ad Pœnitentiæ Sacramentum accedit, tenetur, vi divini præcepti in Synodo Tri-

Digitized by Google

dentinâ, apertiſſimè promulgati, gravem, acerbumque de peccatis, dolorem elicere, ob aliquam rationem honeſtam, cujuſmodi eſt ſeu dilectio Dei, ſeu pœnarum metus; ut autem ex Dei amore nominatim doleat, neque Eccleſia, neque ipſe Sacramentorum Autor Chriſtus edixit.

Fateor itaque, dolorem cum Dei dilectione conjunctum maximè juvare ad veniam peccatorum obtinendam, & cum laude ad Sacramentum adhiberi; aïo tamen, ſi illum abeſſe contingat, non peccari contra reverentiam Sacramenti, quaſi ſua illi materia, aut una ex ſuis partibus detrahatur; ex eo enim capite, materia Sacramenti integra eſt, ubi dolor adeſt honeſtus, efficax, & ſupernaturalis, ſive ille ex Dei amore, ſive ex metu pœnarum excitetur.

Poſtquam conjecturas, & ra-

Digitized by Google

tiones diſcuſſimus, quibus freti adverſarii contendunt, nuſquam à Concilio conſtitutum, quòd Attritio, ex ſolo pœnarum metu, ad obtinendam peccatorum veniam, in Sacramento ſufficiat; operæ pretium eſt, argumenta, ac rationes expendere, quibus probant, ne id quidem decernere, ſapientiſſimam Synodum potuiſſe. Sic autem videor audire ratiocinantes.

5. Obj. Conc. Trid. non potuit decernere Attrit. ad Sacram. ſufficere.

Concilia Oecumenica quæ à ſancto Spiritu diriguntur, ſtatuere nihil poſſunt, quod Dei verbo ſcripto, aut tradito adverſetur: Atqui neceſſitatem divini amoris, ad veram Pœnitentiam, & multa Scripturæ loca, & traditio ipſa confirmat. Ea enim traditione habentur, quæ à Chriſto, & Apoſtolis accepta, unanimi ad nos conſenſu, Patres, ac Theologi tranſmiſerunt: homini autem in veterum ſcriptorum lectione ver-

1. Quia hæc ſéſent. repugnat traditioni, & doctr. Ss. Pat.

Digitized by Google

ſato, liquidó conſtabit, Patres, ac Theologos ferè omnes, qui à primis Eccleſiæ temporibus, ad medium ſæculum decimum ſextum floruerunt, apertiſſimè docuiſſe, nemini, abſque Dei dilectione, peccata in Sacramento Pœnitentiæ condonari. Atque hîc, duce Launoïo nunc antiquarum traditionum ſcrutatore ac defenſore, nunc oſore acerrimo, catalogum texunt ſanctorum Patrum, ac Theologorum, qui viſi ſunt huic ſuæ ſententiæ favere.

Joa. Launoïus de mente Conc. Trid. circa Contr. & Attrit.

Præclarum ſanè induſtriæ ſpecimen, quo exigua opuſcula, magno laboris compendio, in molem ingentem excreſcant! Næ mihi, ſi eandem eruditionis pompam amarem, facile eſſet recenſere æqualem numerum Patrum, & Theologorum, qui ſalutarem pœnarum timorem impensècommendant, hominesque in ſcelus

Digitized by Google

omne ruentes, hac inferorum imagine, velut injecto fræno, coërcent. Verùm quid ad rem propoſitam juvaret tantus utrorumque conatus? Neque enim agitur de præſtantiâ, & utilitate ſeu Dei dilectionis, ſeu timoris; ſed ſolùm quæritur, quid juvent hujuſmodi actus ad Sacramentum Pœnitentiæ? An ſcilicet perfecta Dei dilectio ita neceſſaria ſit, ut eâ deficiente, etiamſi maximè adſit pœnarum metus, nullus planè ex irrito Sacramento fructus exiſtat, Hoc autem non modò non-probant, ſed ne attingunt quidem, Patrum loca tanto apparatu, tantoque ſtudio conquiſita. Ac ne ſingulis recenſendis, qui ſupra quadraginta numerantur, diutiùs immorer, nonnullos dumtaxat, eo, quo proponuntur, ordine, ſeligere viſum eſt, ex quibus conjecturam de cæteris facere liceat.

Digitized by Google

De la Contr. à Louvain 1676. ch. 6.

E' primo Eccleſiæ ſæculo, producuntur Ignatii Martyris verba, *Omnibus Pœnitentibus dimittit Deus, ſi pœniteant in unitatem Dei.* Atqui hîc neque de Pœnitentibus in Sacramento, neque de Charitate; ulla fit mentio. Novi Autores iſtos, hanc Dei unitatem, dilectionem interpretari. Ludicrum ſanè, in re graviſſimâ commentum! ſed quis, tam levi conjecturâ, ſibi patiatur imponi?

Syllabus Patrũ, qui videntur Dei dilect. ad Sacram- requirere.

Ex ſecundo ſæculo adducitur Juſtinus Philoſophus, ac Martyr. *Qui diligit*, inquit, *Dominum Deum, ex toto corde, & proximum ſicut ſeipſum, is demùm verè juſtus fuerit.* Tum Irenæus, cujus hæc ſunt verba. *Juſtis autem, & æquis, & in dilectione perſeverantibus, quibuſdam quidem ab initio, quibuſdam ex Pœnitentiâ, vitam donans.* Sanè, ſi iſthæc loca ad Sacramentum Pœnitentiæ trans-

Reſp. & explic. menſ. SS. PP.

Digitized by Google

transferantur, ex iis certiſſimè conficitur, Juſtinum non modò Dei dilectionem, ſed etiam Charitatem erga proximum: Irenæum verò, dilectionem actualem, & habitualem; hoc eſt perpetuam in gratiâ permanſionem, quam perſeverantiam vocant, tamquam partes, & materiam Sacramenti, deſideraſſe.

Primum nemini hactenùs venit in mentem: Alterum naturam evertit Pœnitentiæ Sacramenti, quod divinitùs comparatum eſt, non ſanè ad eorum ſalutem, qui in gratiâ perſeverant, ſed eorum, qui in peccatum lethale prolapſi, à ſanctitate, & gratiâ exciderunt.

In tertio ſæculo, provocant ad illa Clementis Alexandrini Preſbyteri verba. *Abſque Charitate nihil gratum eſt Deo.* Tertulliani dicentis, *Pœniteat errorum, repertâ veritate: pœniteat amaſſe quæ Deus*

Digitized by Google

non amat. Origenis demùm, ad Chriſti verba, *mandatum novum do vobis*, hanc clauſulam attexentis. *Peccatori autem, & Charitatis fœdera non ſervanti, etiam Evangelia veteraſcunt.* Ecquis, amabo, ex frequenti illâ Charitatis commendatione, ad Pœnitentiæ Sacramentum, de quo mirum ubique ſilentium, neceſſariam illam ſuſpicetur?

Ex tertio, ad quartum ſæculum progreſſi, Commentarium Hilarii proferunt, in Evangelium Mathæi, ubi hæc verba habentur. *Quia Charitas plurimum peccatorum tegit, noviſſimum pœnæ quadrantem ſolvemus, niſi pretio ipſius, aliquantorum criminum culpa redimatur:* At næ graviter hallucinantur adverſarii, qui non advertant, dum dicit Hilarius (*Charitas plurimum peccatorum tegit*) ſermonem eſſe, de Charitate fra-

Digitized by Google

ternâ ; quod manifeſtò probant Petri Apoſtoli verba, ad quæ ſapientiſſimus hic Pater alludit. *Ante omnia, mutuam in vobismetipſis, Charitatem continuam habentes; quia Charitas operit multitudinem peccatorum.* Petri. 1. 4.

Neque plus ſanè præſidii petitur ex ſermone Ambroſii quadrageſimo ſexto, in quo aſſerit ſanctus Doctor, Divi Petri Pœnitentiam, ex dilectione, ſuum omne pretium, ac meritum habuiſſe. *Qui enim*, inquit, *Dominum tertiò negaverat, tertiò confitetur; & quoties culpam delinquendo contraxerat, toties gratiam diligendo conquirit.* Fateor planè hîc agi de Pœnitentiâ Petri, quam ſingularis erga Chriſtum amor nobilitavit; nuſquam verò de Pœnitentiâ cum Sacramento conjunctâ. Etenim quæ hîc memoratur; fuit Confeſſio fidei, non Confeſſio

Digitized by Google

Sacramentalis; niſi quis fortè exiſtimet, Chriſtum, qui inſtituit, ipſum etiam, dum viveret, Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtraſſe; imò, omnibus audientibus, quod in iſtâ Petri Confeſſione contigit, confitentem Apoſtolum audiiſſe. Hæc ſanè, quàm ab Eccleſiæ, & Patrum ſenſu abhorreant, ſtatuat Launoïus, aliique antiquorum rituum indagatores.

Omitto alia Patrum loca, quæ adverſarii, per ſingula ſæcula, accuratè perſequuntur; at planè causâ cecidero, ſi vir Theologus affectu partium liber, neceſſariæ, in Sacramento, Dei dilectionis veſtigium in illis aliquod, umbramque leviſſimam deprehendat.

Quare, cum in medium producentur vulgata à Patribus, aut etiam in ſacris Literis conſignata, divinæ Charitatis elogia; admittenda ſunt illa quidem, prolixé-

Digitized by Google

que amplificanda. At, quæ hinc deducentur, concluſionibus diſtinctio adhibenda: Ergo ad Pœnitentiam, ſeorſum à Sacramento, Dei dilectio neceſſaria eſt, utique concedendum: Ergo in Sacramento neceſſaria eſt, acriter pernegandum.

Rursùm, Ergo ad Sacramentum neceſſaria eſt aliqualis Dei dilectio, tranſeat; de hac enim non diſputamus: Ergo neceſſaria eſt Dei dilectio ſuper omnia, ut contendunt autores, quos impugnamus; falſum, & antiquis Patribus gratis affictum omninò contendimus.

Altera ratio quâ adverſarii probant, Attritionem ex ſolo pœnarum metu non potuiſſe, à Concilio Tridentino, tamquam idoneã Sacramenti materiam aſſignari, ita ſe habet. Contritio ex mente Concilii, ad gratiam in Sacra-

2. Rat. adverſ. Conc. Trid. non potuit decernere Attrit. ad Sacram.

Digitized by Google

ſufficere, quia illa peccandi voluntatem non excludit. Caſtor. c. 8. §. 2.

mento diſponit, quæ peccandi voluntatem excludit: Contritionem autem, ex ſolo pœnarum metu, non removere ex animo voluntatem peccandi, probari volunt, celebri Philoſophorũ effato, *metus cauſat involuntariũ.* Ea enim quæ fiunt ex metu, videntur magis neceſſitate fieri, quàm voluntate. Et ſanè, cùm bonum aliquod fugimus, vel moleſtum quippiam, ob metum mali impendentis, ultrò ſubimus, diſplicet omninò tum boni illius carentia, tum hujuſmodi moleſtiæ perpeſſio; latetque, in animo, actus iſte voluntatis; non fraudarem me utique eo commodo, nec moleſtiam mihi iſtam accerſerem, niſi majoris calamitatis periculo commoverer.

Res patet eorum vectorum exemplo, qui licet ſuas merces, ac ſarcinas, cariſſimas habeant,

Digitized by Google

illas tamen, ad vitandum naufragium, in mare projiciunt. Sic enim ad unum omnes animo comparati ſunt: Non rerum certè mihi cariſſimarum jacturam facerem, niſi navis, aut vitæ ipſius jacturam timerem. Pariter, qui amaras hauriunt potiones, omniaque patiuntur artis medicæ cruciamenta, ut gravi, ac pericuIoſo morbo leventur, ita planè ſtatuunt apud ſe; Nec ego acerbam iſtam curationem tolerarem, niſi majoris me mali urgeret metus, & præſentis mortis periculum immineret.

Quæ omnia evidenter probant, cùm ob metum majoris mali, rem aliquam, putà, voluptatem, divitias furto partas, ambitioſam honoris pompam averſamur, & fugimus; exteriùs quidem hujuſmodi res abdicari, remanere tamen interiorem, erga illas, mentis affectum.

Digitized by Google

Atque hinc apertè deducitur, 1. Pœnarum metum vim quidem habere actus externos cohibendi, non interiores animi motus, in quibus nequitia, atque omnis culpa verſatur. Quâ ratione, metus patibuli, furis manum, non voluntatem coërcet à furto. Deducitur 2. dolorem ex metu pœnarum, cùm, ut modò dicebatur, conjunctus ſit cum vitioſo illo affectu, *peccarem niſi pœnas metuerem*, & ipſum vitioſum eſſe; niſi ſubſequente Charitate, hæc ejus deformitas emendetur.

Reſp. &Prob. gehen. metnm exclud. volunt. pecc.

Hæc ſunt præcipua duo capita, ad quæ, argumentationes omnes reducuntur, quibus adverſarii probant dolorem, ex metu pœnarum, non excludere, imò verò includere peccandi voluntatem.

1. Autor. Conc. Trid.

Primum aggredior, impugnóque, autoritate Concilii Tridentini, quod in ſæpius memorato capite Seſſionis

Digitized by Google

Seſſionis decimæ quartæ, ait, *Attritionem quæ ex gehennæ, & pœnarum metu concipitur, cum ſpe veniæ, ſi voluntatem peccandi excludat, eſſe Dei donum, &c.* Quibus ex verbis ſic liceat argumentari.

Salvâ Concilii reverentiâ dici non poteſt, inter actus qui ad ſuſcipiendum Pœnitentiæ Sacramentum, ab eo præſcribuntur, unum eſſe chymericum; ſive unum eſſe, qui adjunctam habeat conditionem chymericam, ac ſecum planè pugnantem. Atqui hoc adverſarii dicunt. Nam in eorum ſententiâ, repugnat, dolorem ullum, ex metu pœnarum, peccandi voluntatem excludere; ac proinde quandoConcilium hujuſmodi dolorem requirit ad Sacramentum Pœnitentiæ, requirit ſanè dolorem chymericum, ſeu potiùs requirit in dolore Sacramentali, conditionem chymericam, & repugnantem.

Digitized by Google

Intelligo quâ captione, quo effugio adverſarii vim argumentationis declinare conentur; nempe aïunt Attritionem, de quà Concilium loquitur, conjunctam eſſe cum amore initiali, ſine quo, Attritio nullatenùs diſponit ad gratiam, in Sacramento, conſequendam; adeóque non tam pœnarum timorem, quàm ipſam Dei dilectionem, peccandi voluntatem, ex animo removere. Fallaciam, & ſubterfugium dixi hujuſmodi reſponſionem, quæ ſit mera petitio principii, ut dialectici appellant, hoc eſt, in quâ, tamquam certum ſtabilitur illud ipſum, de quo dubitatur. Quæritur enim, an ex verbis Concilii rectè colligatur, quód ſolus pœnarum metus peccandi voluntatem excludat, adeóque ſine Dei dilectione, in Sacramento, proximè diſponat ad gratiam, quod nos planè contendimus.

Reſpondent autem adverſarii, non eam eſſe Concilii mentem; quia dum Concilium ſignificat Attritionem excludere voluntatem peccandi, adeóque ad gratiam diſponere, intelligit Attritionem cum initiali amore conjunctam. Ecce tanquam certū inducitur quod negatur, & Theſis, ut aiunt, in probationem affertur.

Deinde, ſi ea dilectio, quæ in ſententia adverſariorum, unà cum Attritione, requiritur ad removendam peccandi voluntatem, eſt amor benevolentiæ, & quidem ſuper omnia; ergo cùm Tridentinum Concilium ait, dolorem, ex amore Dei ſuper omnia, ad gratiam diſponere, ſi peccandi voluntatem excludat, conditio ſanè ſuperflua, & inutilis adhibetur: cùm enim peccatum, ut ipſimet adverſarii docent, in eo ſitum ſit, quod res creata Deo præferatur,

Digitized by Google

& pluſquam ipſe Deus ametur; ſi adeſt amor Dei ſuper omnia, excluditur neceſſariò voluntas rem aliquam Deo præferendi, eamque plus quàm Deum ipſum amandi.

Alia quoque, contra illud dilectionis effugium, ex iiſdem Concilii verbis, inſtitui poteſt argumentatio. Conciliū definit voluntatē peccandi, per eam Contritionem excludi poſſe, quam Lutherus aïebat facere hominem hypocritam, & magis peccatorem: nam in eo Decreto Concilii, ipſiſſima Lutheri verba referuntur, & redarguuntur. Atqui Lutherus id ſentiebat de Contritione, quæ ex ſolo gehennæ impendentis, & æternæ beatitudinis amittendæ timore elicitur; neque enim adeò demens erat, ut exiſtimaret dolorem ex amore Dei ſuper omnia, genus eſſe hypocriſis, & homi-

Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 4.

Digitized by Google

nem facere magis peccatorem.

Confirmatur ex ipſis Lutheri verbis, qui diſertè aſſerit exagitari abs ſe Contritionem illam, *quæ paratur ponderando amiſsionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis acquiſitionem... quam Catholici vocant extra Charitatem non meritoriam, alii vocant Attritionem.* An non Contritio quàm hîc Lutherus deſcribit, & impugnat, ipſiſſima Attritio eſt, non ex Charitate, ſed ex ſolo pœnarum timore profecta; ac proinde eadem, de quâ Concilium ſignificat, quòd peccandi voluntatem poſſit excludere. Conſtat itaque, ex eâ Concilii clauſulâ, *ſi peccandi voluntatem excludat*, Attritionem ex ſolo pœnarum metu, poſſe peccandi voluntatem excludere.

Serm. 2. de Pœnit.

Argumentationi, ex Concilii verbis, confectæ aliam adjungo, ex Attritionis, ac timoris naturâ pe-

2. Prob. Rat. Attrit. exclud. volunt. pecc.

titam. Qui rem aliquam, putà cœleſtem beatitudinem vehementi ſtudio concupiſcit, adhibet continuò adjumenta omnia, quæ proſunt ad illam obtinendam: Atqui odium efficax, ſeu deteſtatio omnis omninò peccati requiritur neceſſariò ad ſempiternam fœlicitatem conſequendam: Ergo qui illam vehementer exoptat, ſummum intimumque habet odium in omne omninò peccatum.

Rursùs, qui malũ aliquod, verbi gratiâ, inferorum cruciatus acerrimè averſatur, excutit continuò, removetque illud omne, quod grande iſtud infortunium inducit: Atqui peccandi voluntas, ſeu actu erumpens, ſeu habitu perſeverans, æternos illos cruciatus certiſſimè inducit: Ergo actus ſeu timoris, ſeu cujuſcumque alterius virtutis, qui acerbiſſima iſthæc ſupplicia ſeriò averſatur, hujuſmodi planè

voluntatem excludit. Quàm ſtabilis, firmaque ſit hæc noſtra argumentatio, patet ex multiplici machinâ, quam, ad illam evertendam, præter cæteros, Illuſtriſſimus Caſtorienſis adhibuit.

1. Reſp. Caſtor. retorq. argum. contra nos. c. 8. §. 4.

Aït enim primò, cauſam noſtrã hâc ipsâ argumentatione profligari, quam contra nos ita convertit. Deſiderium efficax alicujus boni, verbi gratiâ, cœleſtis beatitudinis, infert poſitionem eorum omnium, quæ ad illam conſequendam, neceſſaria ſunt: Atqui ad cœleſtem beatitudinem obtinendam, neceſſarium eſt, ut mandata obſerventur, quorum primum, & maximum eſt; ***Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo***: Ergo ſummæ illius fœlicitatis deſiderium, cùm ad reliqua mandata, tum ad ſervandum, in primis, præceptum dilectionis impellit. Cùm itaque Attritio illa, quam

ad Sacramentum ſufficere exiſtimamus, conjuncta ſit cum metu æternæ beatitudinis amittendæ, & cum efficaci deſiderio illius obtinendæ, moveat neceſſe eſt, ad veram, ſinceramque Dei dilectionem.

Refell. ejus inſtant.

Ut minoris propoſitionis, in quâ, vis tota argumenti ſita eſt, levitas intelligatur; obſervandum eſt; gehennæ metum in Sacramento Pœnitentiæ, & extra Sacramentū excitari poſſe. Si in Sacramento excitetur, neceſſe profectò non eſt, ut Dei amorem inferat, cùm ille in Sacramento non ſit medium, ſeu adjumentum neceſſarium, ad gratiam juſtificationis, adeóque ad cœleſtem gloriam, per Sacramentum, obtinendam. Scio contendere adverſarios amorem illum, ad efficacitatem Attritionis Sacramentalis pertinere, verùm hoc illis probandum eſt,

Digitized by Google

eſt, antequam aſſerant hanc Dei dilectionem eſſe medium ad æternam beatitudinem, etiam per Sacramentum obtinendam; alioqui principium petunt, & illud ipſum ſtatuunt, de quo inter partes diſputatur.

Si verò efficaci timore gehennæ, extra Sacramentũ, peccator concutiatur, ad Dei amorem illicò progredietur; quia extra Sacramentum, abſque Dei dilectione, nec juſtificationis gratia, nec cœleſtis gloria comparatur.

Atque ille eſt ſenſus comparationis, metum inter, & acum ſutoriam, ab Auguſtino inſtitutæ, cùm ait, ſicuti acus filum ſericum, in pannum, ita timorem in animam, Dei dilectionem inducere.

His poſitis, patet quæ ſit adhibenda diſtinctio ſecundæ, & tertiæ propoſitioni ſuperioris argumenti. Dei dilectio neceſſaria eſt

Digitized by Google

ad vitandas inferorum pœnas, & æternam beatitudinẽ conſequendam: ergo metus efficax inferni inferet hanc Dei dilectionem. Reſpondendum, inquam, dilectio Dei, etiam ſuper omnia, ad hæc neceſſaria eſt, adeóque timori adjungenda, extra Sacramentũ conceditur, in Sacramento negatur.

2. Reſp. Caſtor. Tim. pœn. non toll. ſed repr. volunt. pecc. c. 23. §. 1.

Reſpondet 2. timorem pœnarum peccandi quidem voluntatem reprimere, ac debilitare, non profligare penitus, animoque expellere. Sic autem explicat ſuam „mentem. Timor à peccato revo-„cat, quia voluntatem hîc & „nunc peccandi excludit, atque „hac ratione latentem in cordis „receſſu, voluntatem peccandi, „ſi fieri poſſet impunè, debilitat, „& reprimit, quæ majores vires „conſequitur, dum peccatum „opere perpetratur.

Reſp. Refell.

Verùm principio à nobis ſupe-

Digitized by Google

riùs conſtituto, huic difficultati ſtatim occurritur. Vel enim gehennæ metus languidè, ac remiſsè, vel ſeriò, & efficaciter a pœnis inferorum abhorret. Si primùm, cùm Attritio ad Sacramentum ſufficiens ex timore illo languido, ac remiſſo, non formetur, de eo certè non agitur, neque de illo contendimus. Si ſecundùm; vehemens ſanè, & efficax ille timor, utramque removet peccandi voluntatem. Utraque enim, ſeu quæ cum opere exteriori conjungitur, ſeu quæ latet in cordis receſſu, impedimento eſt cœleſti beatitudini obtinendæ, & in æternas inferorum ærumnas certiſſimè conjicit. Ergo ſi timor, ut ſtatuimus, & jacturam vitæ in cœlis beatæ, & æterna in inferis ſupplicia ſincerè, & efficaciter metuat; utramque illam peccandi voluntatem excludet.

3. Reſp. Caſtor. Quòd fuga pecati ex metu; includ. volunt. condit. pecc. c. 8. §. 2.

Objicit, reſpondetque tertiò idem autor, fugam mali cujuſcunque, exempli causâ, peccati, ob metum majoris cujuſpiam mali, adjunctam habere hujuſmodi conditionem, peccarem, niſi me pœnæ, ac majoris infortunii timor cohiberet; ac proinde metum, vim habere dumtaxat, animum continendi ab actu exteriori, non ab interiori voluntatis affectu, in quo malitia omnis, ſeu nefas omne verſatur.

Res, inquit, patet exemplo eorũ „ vectorum, qui timentes naufra„ gia, jactum faciunt bonorũ quæ „ retinere vellent, niſi majoris ma„ li periculum, ut ea projicerent, „ ipſos urgeret. Idem dixeris de fure, qui patibuli metu, ita abſtinet à furto, ut ad illud perpetrandũ promptus paratuſque ſit, niſi præſens furcæ, ac mortis formido retraheret. Docet omninò gemi-

num illud exemplum, cum timore alicujus calamitatis, remanere affectum, ad rem illam, quam, ex hujuſmodi metu, videmur abdicare; pœnæque formidinẽ, exteriorẽ quidem peccati actum, non affectum, & voluntatem excludere.

Cujus diſcriminis ea cauſa aſſignari poteſt, quòd hominis animus, ut ſibi ab exterioribus peccati actibus temperet, membris ſolùm externis imperare debeat; ut autem peccandi voluntatem, affectùmque cohibeat, ſibi ipſi præcipiat neceſſe eſt, ſibi imperet, „ ac dominetur. Efficaciùs autem, „ & fortiùs requiritur imperium „ voluntatis, ut voluntas ſibi perfectè obediat, quàm ut membris „ externis dominetur. Non valet „ itaque conſequentia; voluntas „ per metum commota, poteſt „ excludere voluntatem hîc, & „ nunc peccandi; ergo pari facili-

Idem pa. 114. §. 5.

Digitized by Google

„ tate, à ſe poterit impetrare, ut „ omnem ponat peccandi affec„ ctum. Ita ille ratiocinatur. At ſententiæ noſtræ fundamentum, nec iſta quoque ratiocinatio, vel leviſſimè, concutit.

Impug. 3. illa Reſp.& prob. fugam ex metu, non includ. volunt. condit. pecc.

Attritio quippe ex timore pœnarum, hanc peccandi, *niſi metus obſtaret*, voluntatem, nullatenùs ſecum patitur remanere.

Enim verò juxtà principium hactenùs inconcuſſum, timor efficax, & vehemens ignium infernorum, abdicat, exuitque ſenſus, & affectus omnes, qui homines æternis illis cruciatibus implicant: Atqui illâ peccandi voluntate, *Peccarem utique, niſi me gehennæ metus, & periculum prohiberet*, eâ, inquam, voluntate, æterni illi cruciatus adeuntur; ergo eorum timor, ſi efficax, ac ſincerus eſt, & removet illam voluntatem, & hujuſmodi conditionem prorsùs excludit.

Digitized by Google

Atque hinc petitur diſcrimen inter metum pœnæ æternæ, ac temporalis. Ideò enim infortunii temporarii, verbi gratiâ, naufragii, aut patibuli metus, cohibet ſolum actum externum, quia ille unus impedimento eſt, nè tam grave infortunium vitetur; ſive ille unus actus, malum, quod timetur; furtum videlicet, patibuli pœnam; & conſervatio mercium naufragium inducit. Quòd ſi affectus, perinde ac gravitas mercium naufragii periculum augeret; & rei alienæ cupiditas, non ſecùs ac furtum ipſum pœnâ patibuli mulctaretur; & vector qui naufragium timet, interiùs illud mercium retinendarum deſiderium; & fur qui patibulum horret, ſuam illam furandi voluntatem protinùs coërceret. Cùm autem deliberata hæc affectio animi, *peccarem, niſi ignium infernorum*

metus obſtaret ; cùm , inquam , hæc affectio peccatum ſit , æternis ſuppliciis puniendum ; ſanè , qui æternos illos cruciatus ſeriò metuit , etiam latentem illam in cordis receſſu , peccandi libidinem reſecat , comprimitque. Fateor equidem efficaciùs requiri imperium voluntatis , ut illa ſibi ipſi , quàm ut externis corporis membris imperet , at quid inde concludas ? Major à voluntate conatus adhibendus eſt , ut ſuas ipſius , quàm ut exteriores corporis actiones coërceat ; ergo ſibi nunquam vim illam faciet , quantumvis graviſſimo periculo territa ; ergo voluntas nunquam ſibi imperabit? Apage levem minutamque concluſionem. Ex eo enim quod imperium voluntatis in ſuos actus , operoſiùs ſit , non ſequitur non poſſe illud identidem exerceri.

Voluntas , inquit ſuprà laudatus

tus antiſtes, imminentis mali timore perterrita, poteſt excludere voluntatem hîc, & nunc peccandi; ergo pari facilitate impetrare abs ſe poterit, ut ponat omnem peccandi affectum. Ita nos ratiocinantes inducit, ac ſimul conſequentiam negat; & rectè negat; neque enim æquè facile eſt voluntati, ſe ipſam ab omni peccandi affectu, quàm manum, aut linguam, ab externo opere continere. At argumentum ipſe commentus eſt, ut diſputantibus palpum obtrudat. Nos enim ſolennibus, ac certioribus veſtigiis inſiſtentes, in hunc modum, ratiocinamur. Ideò metus, opus externum cohibet, & voluntatem excludit hîc, & nunc peccandi, quia opus illud, & hujuſmodi voluntas inducunt malum quod timetur: Atqui *peccandi affectus, niſi timor obſtaret*, æterna quoque ſupplicia commeretur:

Digitized by Google

Ergo metus hujuſmodi cruciatuum, etiam illum peccandi affectum excludet.

Non ego ſanè inficiabor, voluntatem retinere propenſionem, ſeu affectum aliquem indeliberatum, erga vitæ commoda, ac voluptatum illecebras, quas, pœnæ timore repudiat; retinere item ſubitũ quemdam dolorem, quem diſplicentiam vocant, quòd à rebus ſibi chariſſimis abſtrahatur; ſed in eo hallucinantur adverſarii, quòd hunc animi motum, ſive peccatum, ſive peccandi affectum apellent. Sic enim „ratiocinantur. (Qui, eâ ſolùm „de causâ, facit quod jubetur, „quia timet pœnas incurrere, „quas lex minatur, bonáque a„mittere, quibus animo adhæreſ„cit, is ita affectus eſt, ut ab offi„cio recederet, niſi minis, & „pollicitationibus urgeretur. Rur-

Caſtor. cap. 8. §. 2. p. 103.

„ sùm, qui, ob eam ſolùm ratio-
„ nem, facit quod Deus jubet,
„ quia timet quod Deus minatur,
„ ei mandatum eſt onus grave, &
„ jugum affligens; id quod facit,
„ ei grave, ac moleſtum eſt.) De-
„ mùm ita concludit. [Timor er-
„ go non excludit voluntatem ma-
„ lam, ſed eam averſam, dum ur-
„ get, malam eſſe oſtendit.]

Verùm, vel Autor iſte loquitur de voluntate deliberatâ peccandi, hoc eſt, indulgendi obſcænis voluptatibus, aut aliena bona retinendi, niſi ignium æternorum metus obſtaret; vel intelligit propenſionem aliquam, & affectum ſubitaneum, ac indeliberatum. Si primum, ponit tamquam certum, quod conſtantiſſimè pernegamus, cum metu videlicet efficaci ignium infernorum, remanere certam, ac deliberatam peccandi voluntatem, quà hujuſmodi crucia-

Digitized by Google

tus certiſſimè adeuntur : ex argumento enim ſuperiùs confecto ſatis liquet, pugnare inter ſe voluntatem efficacem vitandi pœnas inferorum, & peccandi voluntatem, per quam,certò in hujuſmodi pœnas incurritur.

Si ſecundum, hoc eſt, ſi ſermo ſit de propenſione, & affectu indeliberato, erga res illas quæ, ex metu, abdicantur ; item de diſplicentiâ, ſeu de naturali illo doloris ſenſu, qui ab earum rerum abdicatione, efficitur ; dico eos animi motus, adeò non eſſe peccata, ut etiam Pœnitentiæ meritũ augeant.

Dixi non eſſe peccata, quia cùm illi motus ſint omninò naturales, & in animâ ſentiente excitentur, ſunt illi omninò tum culpæ, tum laudis expertes. Patet illud in primis,ex eo quòd viri etiam ſanctiſſimi, motus hujuſmodi,citra omnẽ culpam, in ſe ipſis experiantur.

Digitized by Google

Quis enim neget, homines pœnitentes, voluntarias corporis macerationes; Martyres verò, cruces, patibula, equuleos, ex naturali doloris ſenſu, exhorruiſſe. Quinimò Paulus ipſe ingenuè profitetur, quòd *ſentiret in membris ſuis, legem aliam repugnantem legi mentis ſuæ.* Equidem & Paulo, in rebus aſperis, divinæ legis cuſtodia, & mattyribus, corporis cruciatus graves ac moleſti erant, carnemque, & animam ſentientem affligebant; nemo tamen dixerit, ob eam moleſtiam animi, & angorem, viris illis ſanctiſſimis, & fidei defenſionem, & in cruciatibus perferendis conſtantiam, aut involuntariam fuiſſe, aut conjunctam cum voluntate peccandi, niſi majoris mali metus obſtaret. Rom. 7.

Dixi ſecundò, affectum naturalem, & indeliberatum erga res quæ, ex metu, abdicantur, Pœni-

Digitized by Google

tentiæ meritum augere. Quod eâdem ratione conficitur, quâ Theologi vulgò probant, opere externo, ſatisfactionis vim ac pretium augeri; quia videlicet, cùm voluntas, ex metu, rebus jucundis abſtinet, ad quas magnam habet propenſionem; aut cùm malum aliquod ſubit, à quo maximè abhorret, major conatus adhibendus eſt, ad illam propenſionem, eumque horrorem coërcendum; atque ex eo mentis fervore, & voluntatis contentione fit, ut opus Deo magis acceptum exiſtat, ejuſque Juſtitiæ pœnas æquiores exolvat.

4. Reſp. Caſtor. metum non averſari pecc. quia nõ averſ. illud

Quarta & poſtrema argumentatio quâ, idem Autor contendit timorem gehennæ non excludere voluntatem peccandi, ita ſe habet. „Illud haud propriè odio habetur, quod non propter ſe, ſed „propter aliud, odio habetur.

Digitized by Google

„ verbi gratiâ. „ Homines non „ propriè odio habentur, dum, „ propter ſua vitia, odio habentur. „ Pariter, via lupis infeſta non pro- „ priè horretur, dum, non niſi „ propter lupos, horretur; ita hor- „ ror, quo peccatum, propter in- „ fernũ, exhorreſcimus, non pro- „ priè peccatum, ſed infernum exhorreſcit... Deinde ſic con- „ cludit. Eſt itaque indubitatum „ nihil propriè timeri præter- „ quàm illud, quod propter ſemet- „ ipſum, timori eſt.

propter ſe; ſed propter aliud. c.7.§.5. p. 97.

Ex quibus principiis gratis omninò, & pro arbitrio conſtitutis colligit Autor, voluntatem, quæ peccatum, ob metum inferni, odio habet, infernum quidem, non peccatum averſari; adeóque cum illo metu conciliari, ac remanere affectum, amoremque peccati.

Dixi; gratis prorsùs, & ad libi-

Digitized by Google

Refell. 4. Reſp. tum, confiſta eſſe illa principia. *Nihil verè amatur, aut odio habetur, quod non propter ſemetipſum, ſed propter aliud ametur, aut odio habeatur.* Illa enim Philoſophicam, ac Theologicam omnem diſciplinam; evertunt. Philoſophicam quidem, quæ objectum aliud materiale, aliud formale conſtituit; & materiale quidem docet verè ac propriè attingi, quamquam propter formale attingitur. Et ratio eſt, quia licet objectum formale, ſeu virtus illa quæ primariò movet ad amorem, aut odium; ſit aliquando extra materiale objectum, tamen ſupponit in eo connexionem quandam ac relationem, quæ vim habet ipſa movendi, & voluntatem ad ſe alliciendi. Res declaratur exemplo. Cùm æger medicamentum expetit, propter ſanitatem, ſanitas certè non eſt forma aliqua

Digitized by Google

aliqua quæ medicamento inhæreat, illud tamen reſpicit, velut cauſam, à quâ ipſa efficitur. Ea autem connexio, ſeu ratio cauſæ facit omninò, ut voluntas utrumque expetat; facit inquam, ut deſiderium ſimul in ſanitatem, & in medicamentũ feratur. Hæc paulò inferiùs ad rem noſtram, & ad peccatũ, quod propter inferorum pœnas, fugimus, convertentur.

Dixi præterea egregium hujus Autoris commentum, Theologicam omnem, virtutum, ac vitiorum diſciplinam, planè convellere. Exempli causâ, dogma eſt in Theologiâ Chriſtianâ ſanctiſſimum, præter charitatem perfectam, quâ Deus diligitur propter ſe, genus eſſe aliud dilectionis, ſive ſpem, ſive amorem concupiſcentiæ dixeris, quâ Deus, propter beneficia nobis collata, diligitur. Jam verò, ſi admittatur princi-

Digitized by Google

pium hujus Autoris, quòd res illa verè non ametur, quæ propter aliud amatur; ſequitur omninò, cùm Deus optimus, propter ſua in nos beneficia diligitur, diligi quidem Dei beneficia, vitam, incolumitatem, æternam in cœlis beatitatem; at Deum verè, & propriè non amari; ac proinde non aliam eſſe Dei dilectionem, quàm perfectam charitatem quâ, Deus, propter ſemetipſum, diligitur.

Item, cùm quis, ob allatum ſibi nocumentum, proximum odio capitali proſequitur; non ille certè proximum, ſed acceptum ab eo detrimentum averſatur: Atqui peccatum non eſt, horrere, & averſari grande aliquod nocumentum: Igitur odium proximi, quod nunquam verè, ac propriè exercetur, nec divinâ lege vetandum fuit, nec peccatorum in numero repodum. Hæc, præclara iſta philoſo-

Digitized by Google

phandi ratio, aliáque non pauca invehit, quæ à normâ Chriſtianæ Religionis non minùs aberrant.

En, quas in anguſtias, & quos in ſcopulos abripiat homines, ſtudium veteris præjudicii retinendi? Non eget ſanè divinus amor adeò fallaci patrocinio, neque ejus cauſam agunt, qui illam hujuſmodi captionibus, atque argutiis tuentur. Dicendũ igitur, cùm res una, propter aliam, attingitur; utramque verè attingi, ob eam, quam inter ſe habent, convenientiam, quæ, ut plurimùm, eſt connexio cauſæ cum ſuo effectu. Ita, qui Deum, propter ſua in nos beneficia diligit, amat ille certè tum dona illa, tum Deum ipſum tanquam eorum donorum fontem, ac largitorẽ. Similiter, qui inimicum, ob acceptam ab eo contumeliam, odio habet, illatam utique contumeliam, & ſimul inimicũ, ut potè

Digitized by Google

contumeliæ autorem averſatur. Quô eodem mòdo philoſophandum eſt, de timore pœnarum; eum nempe, qui ob periculum in acerbiſſimas inferorum pœnas incurrendi, peccatum deteſtatur & fugit, non modò æternos illos flammarum ardores, ſed ipſum quoque peccatum verè, ac propriè odiſſe; nimirùm, ut cauſam ac reatum, qui certiſſimè hujuſmodi cruciatus inducit.

Confirmatur hæc noſtra aſſertio, ipsâ confeſſione Autoris, quem impugnamus, qui ad ſimilitudinem à lupo deſumptam ita reſ-
Caſt. c. 7. p. 96. „ pondet: (Quando lupus fugi-
„ tur ob malum, nempe ob læſio-
„ nem, quæ ab eo timetur, tunc
„ propter ſeipſum, tanquam ob
„ læſionis cauſam efficientem fu-
„ gitur & timetur.) Ex quibus ſic liceat argumentari: ideò ille, qui ob metum corporeæ læſionis lu-

Digitized by Google

pum fugit, & horret, lupum verè ac propriè, imo propter ſemetipſum exhorreſcit, quia lupus eſt cauſa hujuſmodi læſionis: Atqui peccatum eſt cauſa certiſſima æternorum cruciatuum: ergo ille qui, ob metum hujuſmodi cruciatuum, à peccato refugit, peccatum verè ac propriè, &, ſi velis, propter ſemetipſum exhorreſcit.

Neque dicas, inter lupum & peccatum illud intereſſe diſcriminis, quòd lupus ſit cauſa efficiens læſionis, peccatum verò cauſa moralis, ſempiternæ, apud inferos, uſtionis; quia cauſa iſta moralis ſempiternos illos cruciatus, tam certò ac conſtanter, inducit, quàm lupi dentes, læſionem in corpore, ac doloris morſum efficiant. Stet ergo, dolorem, ex metu pœnarum, omnem prorsùs peccandi voluntatem excludere; atque illud variis, quæ hactenus perſecu-

ti ſumus , adverſariorum effugiis ; confirmari potiùs quàm everti. Si peccandi voluntatem excludit, ipſiſſima Attritio eſt , quam Concilium Tridentinum aſſerit,in Pœnitentiæ Sacramento, ſufficere, ad Juſtificationis gratiam obtinendam.

Digitized by Google

DISSERTATIONIS PARS SECUNDA.

IN QUA PROBATUR TOLLI VIM, ET EFFICACITATEM SACRAMENTI POENITENTIÆ, SI CONTRITIO, EX AMORE DEI SUPER OMNIA, TANQUAM DISPOSITIO NECESSARIA, REQUIRATUR.

SACRAMENTALI Abſolutione, quàm peccatori pœnitenti Sacerdos impertit, peccata non declarari remiſſa, ſed reipsâ condonari ac remitti, adeò

1. Propoſ. Abſol. Sacram. nòn eſt mera declar. quòd peccata ſint remiſſa.

Digitized by Google

expreſſis verbis, Chriſtianæ Religionis monumenta, legeſque decernunt, ut ſanctiſſimum dogma abſque gravi piaculo, negari non poſſit.

Prob. 1. Autor. Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 6.

Primò enim Concilium Trident. cap. ſexto ſeſſionis decimæ quartæ, rem ita definit. (Quam„ vis autem Abſolutio Sacerdotis, „ alieni beneficii ſit diſpenſatio, „ tamen non eſt ſolùm nudum „ miniſterium, vel annuntiandi „ Evangelium, vel declarandi re„ miſſa eſſe peccata; ſed ad inſtar „ actûs judicialis, quo, ab ipſo, ve„ lut à judice, ſententia pronuntia„ tur: ideóque non debet Pœni„ tens adeò ſibi de ſuâ ipſius fide „ blandiri, ut putet... ſe propter „ ſuam ſolam fidem, verè & co„ ram Deo, eſſe abſolutum.) Et Canone nono. Si quis dixerit, Abſo„ lutionem Sacramentalem Sacer„ dotis, non eſſe actum judicialem, ſed

„ ſed nudum miniſteriū declarandi, „ remiſſa eſſe peccata, anathema ſit. Quid planiùs, quid apertius? Abſolutio non eſt nudum miniſterium declarandi remiſſa eſſe peccata: ſacerdos quippe abſolvens, judex eſt, ejuſque ſententia actio judicialis. Judicis enim eſt reum damnare, aut abſolvere; præconis verò, aut miniſtri alterius forenſis, damnatum aut abſolutum, judicis nomine, declarare.

Neque audienda eſt ludicra non nullorum cavillatio contendentium, eò loci, fidem ſolummodò Lutheri juſtificantem à Concilio reprobari, Lutherus enim duo aſſerebat, & peccatorem ſolâ fide juſtum effici, & Sacerdotis abſolutionem, ad juſtitiam hujus modi obtinendam, minimè requiri, ac ſi fortè adhibeatur, merum eſſe miniſterium, quo ſignificetur illa fi- Apud Caſtor. l. 1. c. 29. §. 5.

dei efficientia, & conceſſa jam venia peccatorum. Concilium autem utrumque damnavit, fidem videlicet ſufficere ad obtinendam juſtificationis gratiam, & abſolutionem nudum eſſe miniſterium, quo peccata, quâcumque ratione, remiſſa declarentur. Dixi, quâcumque ratione, nam ineptum planè foret effugium, ſi quis ita reſpõderet; Abſolutio non eſt quidem nudum miniſteriũ declarandi, peccata remiſſa jam eſſe, per fidem juſtificantem, ſicuti Lutherus docebat; eſt tamen nudum miniſterium declarandi, remiſſa eſſe per contritionem aut amorem. Sanè qui ita ſentire videntur, & indoctæ plebi, & ipſis Concilii decretis minùs reverenter illudunt.

Prob. 2. Autor. Scr. ex verbis Christi.

2. Abſolutionem ſacramentalem non eſſe meram declarationem, quòd jam condonata ſint

peccata, luculentiſſimè probatur clariſſimis Chriſti verbis, *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Ex iis enim apertè colligitur, datam Sacerdotibus poteſtatem, non declarandi jam condonata eſſe peccata, ſed ea reipsâ condonandi. Ergo dicendum eſt vel à Sacerdotibus peccata remitti, vel datam illis caſſam & irritam poteſtatem, quæ nunquam in actum erumpat, hoc eſt, quæ nihil unquam efficiat, ſed nec efficere quidquam poſſit. Quod in Chriſti Sacramenta inſtituentis, ſapientiam, quàm injurioſum ſit, nemo non videt. Jo. 20. 23.

Antecedens demonſtratur certiſſimâ Auguſtini regulâ ab ipſis etiam Heterodoxis, Sacramentorum hoſtibus, impensè laudatâ; eam videlicet Chriſto loquenti, imo ſapienti cuilibet Legiſlatori, l. 1. de Doctr. Chriſt.

Digitized by Google

reverentiam deberi, ut eorùm verba, in proprium ac naturalem ſenſum accipiantur; niſi nota ac manifeſta neceſſitas cogat, ea ad metaphoricam aut alienam aliquam ſententiam detorquere: puta, ſi hujuſmodi verba res inter ſe pugnantes, aut rationi ac bonis moribus contrarias continere viderentur. Atqui neque cum bonis moribus, neque cum ratione ullatenus pugnat, quòd Chriſtus uni homini poteſtatem dederit, alterius hominis peccata, ſuo nomine, condonandi. Verba igitur, quibus dicitur, Chriſtum Sacerdoti poteſtatem contuliſſe, delictorum veniam pœnitentibus indulgendi, ad germanam ac naturalem ſignificationem intelligenda planè ſunt. Cùm autem verbis illis perſpicuè ſignificetur, conceſſam Sacerdoti poteſtatem, non declarandi remiſſa, ſed verè remit-
Digitized by Google

tendi peccata; omninò conſequitur, hanc peccata condonandi poteſtatem, Sacerdoti fuiſſe collatam.

Hæc, & ſimiles argumentationes, quibus, adverſus Heterodoxos, probatur, traditam, iis verbis, Sacerdotibus poteſtatem, non eſſe meram poteſtatem prædicandi Evangelium, quo audito acquiritur fides, & fidei beneficio obtinetur venia peccatorum; hæc, inquam, argumentatio magis urget eos Catholicos, qui volunt eſſe illam meram poteſtatem declarandi peccata jam eſſe remiſſa. Nam, qui prædicat Evangelium, juvat ad fidem, audientium in animis, excitandam; cùm autem fides, in Lutheranorum ſententiâ, juſtificet, qui Evangelium annuntiat, ad noxarum veniam, & peccatoris juſtificationem, remotè ſaltem concurrere videtur. Atenim,

Digitized by Google

cùm ante declarationem, jam ſint peccata condonata, qui ea dumtaxat remiſſa denuntiat, nihil prorsùs ad eorum remiſſionem ac veniam confert. Quare Concilium Tridentinū, quod ex Chriſti verbis, utriuſque ſententiæ falſitatem arguit, eodem Decreto utramque damnavit.

Prob. 3 Autor. Ss. PP. Tertiò, autoritate ſanctorum Patrum, clariùs demonſtratur, ſacramentalem abſolutionem non eſſe meram declarationem quòd jam ſint remiſſa peccata. Omitto inſignia loca Ambroſii, Hieronimi, Auguſtini, in quibus aſſeritur, Sacerdotes eſſe judices à Chriſto Domino conſtitutos, eorumque judicio pœnitentes ritè, ac validè ſuis à noxis abſolvi. Hæc, inquam, ne actum agam, videre licet apud Theologos, qui de controverſiis fidei diſputarunt. Duo tantum loca affero, unum ex Hilario, alte-

Bell. de Pœnit. l. 3. c. 3.

Digitized by Google

rum ex Hugone Victorino, ad rem noſtram planè accommodata. Sic enim Hilarius, de Petro Sacerdotum Principe. *O beatus Cæli Ianitor, cujus terreſtre judicium præjudicata auctoritas ſit in Cælo.* Hugo verò, *ſententiam Petri non præcedit, ſed ſubſequitur ſententia Cæli.* Ex quibus ita ratiocineris. Si Sacerdos abſolvens declararet tantùm, ſuas pœnitenti remiſſas eſſe jam noxas, Dei certè, hujuſmodi noxas, condonantis judicium prius foret judicio Sacerdotis: Atqui Dei judicium non præcedit, ſed ſubſequitur ſententiam Petri, & judicium Sacerdotis. Contrà verò Sacerdos de peccatore præjudicat, ſuoque velut ſuffragio, Deo præit, quid debeat judicare. Dixi, Sacerdotis ſententiam, Dei judicium antecedere, non tempore, ſed naturâ; quia prolata à Sacerdote Abſolutionis

Hilar. Can. 16. in Math.

Hugo à S. Victore l. 2. de Sacram. Pœnit. c. 8.

Digitized by Google

formula, unà cum pœnitentis Contritione, Deum movet ad delendam peccati maculam, hominemque, priſtinam in gratiam, recipiendum. Non declarat igitur Sacerdos peccatorem à Deo jam abſolutum, ſed eum ipſemet reverâ, Dei nomine, noxarum abſolvit.

Atque, hæc de Abſolutionis efficientiâ, præmittenda fuerunt, tum ad compeſcendam eorum temeritatem, qui, cum intelligant ſuam iſtam, de neceſſitate perfectæ dilectionis, ſententiam cum Abſolutionis vi,&efficacitate conciliari non poſſe,alicubi, ut audio, muſſitant; eſt, imò verò, Abſolutio Sacramentalis, mera, ac nuda declaratio veniæ jam pœnitenti, Contritionis ope, conceſſæ; tum ad impugnandam, quod inprimis mihi propoſitum eſt, illam perfectæ Charitatis in Sacramen-

Digitized by Google

to neceſſitatem. Sic enim pergo ratiocinari.

Abſolutio Sacramentalis, ut probavimus hactenùs, eſt actio judicialis, quâ peccata verè delentur, non nudum miniſterium declarãdi ea jam fuiſſe remiſſa. Atqui ſi vera Dei dilectio, ſeu dolor de peccatis propter Deum ſummè dilectum, eſt diſpoſitio & materia prorsùs neceſſaria in Sacramento Pœnitentiæ, dum Sacerdos Pœnitentem abſolvit, non tollit aut condonat ipſe peccata, ſed ea dumtaxat jam ſublata, ac condonata pronuntiat.

2. Propoſ. ſi amor Dei ſuper omnia, eſſet neceſſ. ad Sacr. Abſol. Sacr. eſſet mera declar. quòd pecc. ſint remiſſa.

Etenim dolor ille, ex Dei amore ſuper omnia, vim habet certiſſimam, hominem cum Deo reconciliandi, eique peccatorum veniam impetrandi: prævertit igitur omnem Abſolutionis actionem, quæ proinde nihil unquam efficiet; neque enim fas erit jam

Prob. 1. quia amor ille jam pecc. delevit. etiam in ſent. Adverſ.

Digitized by Google

actum agere, aut abſtergere peccati maculam, quæ fuerit jam, præviâ illâ diſpoſitione, deleta.

Dixi, dolorem de peccatis, propter Deum ſuper omnia dilectum, peccatorum veniam certiſſimè obtinere, quod clariſſimè, vel ipſis adverſariorum principiis, ſtabilitur.

Caſtor. l. 1. c. 5. 6.

Ut peccator, inquiunt, cum Deo in gratiam redeat, debet, quod monet Concilium Tridentinum, eâ Contritione, ſive eo ſenſu doloris affici, qui ſit *dolor, ac deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi; qui non ſolùm ceſſationem à peccato, ac vitæ novæ propoſitum, & inchoationem, ſed veteris etiam odium contineat.* Atque, ut hac in parte, Concilii mentem rectè interpretantur, debet hujuſmodi dolor eſſe averſio a creaturâ, & converſio ad Deum, omnemque pec-

Seſſ. 14. c. 4.

Digitized by Google

candi voluntatem excludere. Iis certè affectionibus, ſi Contritio prædita fuerit, ex perpetuâ & conſtanti divinæ miſericordiæ lege, peccatorem illicò in gratiam cum optimo parente reſtituet.

Bene habet. Atqui hæc omnia præſtat, imò ſolus, ut Adverſarii contendunt, id præſtare poteſt Dei amor ſuper omnia, ſive dolor de peccatis, propter Deum ſummè dilectum. Cùm enim, ut ipſi ratiocinantur, tota peccati malitia ſita fuerit in pravo amore, quo creaturas homo Deo præpoſuit, eaſque magis quàm ſummum bonum, & finem ultimum dilexit, pravum certè illum amorem, adeóque peccatum deteſtatur, cùm Deum majori, quàm res omnes creatas, affectu diligit, animumque anteà in illas effuſum, totum devovet Creatori.

Rurſum auerſio à rebus creatis,

Digitized by Google

& ad Deum converſio, ad veram ac ſalutarem pœnitentiam requiſita, in caſtâ illâ Dei dilectione, omninò reperiuntur. Cùm enim Deus, ſuper omnia, hoc eſt, magis quàm res quælibet creata, diligitur, ad eum ſanè, ſpretis rebus creatis omnibus, cor hominis pœnitentis ſuos omnes convertit affectus.

Caſt. c. 5. pag. 58. 59. „ Totum cor, inquiunt adver- „ ſarii, ad Deum convertitur, cum totus ad illum amor convertitur. Cordis perverſionem expel- „ lit amor æternæ juſtitiæ, qui eſt „ cordis rectitudo atque con- „ verſio.

Denique, amorem Dei ſuper omnia, peccandi voluntatem, in præſens & in futurum, excludere, ex eo patet, quòd duo illi affectus, nec conciliari, nec conſiſtere ſimul poſſint. Eſt enim peccandi voluntas deſiderium rem creatam

Digitized by Google

Deo præferendi; ſive, eſt amor rei creatæ ſupra Deum: amor autem Dei, ex toto corde, eſt amor Dei ſupra res omnes creatas; qui affectus ſunt inter ſe penitùs repugnantes. Quare divinus amor, ſi efficax & ſincerus eſt, eam peccandi cupiditatem non patitur ſecum remanere. Quemadmodùm, inquit Origenes, cùm, in eâdem Abrahami domo, non poſſent ſimul duo pueri commorari; ut filio liberæ hæreditas aſſereretur, ejiciendus fuit ancillæ filius. Rem eleganter expreſſit Richardus Victorinus. *Amor ſingularis conſortem non recipit, ſocium non admittit: divinus amor ſingularis eſt; non recipit conſortem amorem mundi, non admittit ſocium amorem carnis.*

Orig. Hom. 7. in Gen.

Rich. Vict. l. 4. c. 15. de contr.

Amor itaque Dei, ex toto corde, notas habet omnes veræ illius pœnitentiæ, cui Deus perpetuò,

Digitized by Google

& conſtanter peccatorum veniam obligavit. Ergo ſi amor ille ſit diſpoſitio neceſſaria, ad Sacramentum Pœnitentiæ, noxas omnes abſtergit, priuſquam Abſolutio Sacramentalis accedat; ac proinde, re jam perfectâ, Abſolutio nihil efficiet, nec peccata condonabit, quæ reperit, amoris ope & efficacitate, jam remiſſa.

Quàm urgeat Adverſarios hæc noſtra argumentatio, ab efficientiâ Abſolutionis Sacramentalis petita, probant multiplices nodi, ac captiones, quibus illi rem implicare conantur.

1. Reſp. adverſ. Amorē Dei in gradu remiſ. non juſtif. extra Sacr.

Reſpondent itaque primò, Amorem Dei ex toto corde, intendi ac remitti, non ſecùs ac alias qualitates. Quemadmodum enim lux in aëre aut criſtallo, modò major eſt, modò minor, ita divini amoris, modò major, modò minor eſt fervor. Hoc poſito,

Digitized by Google

cùm aſſerunt, Dei dilectionem, ad omnem peccatoris juſtificationem, neceſſariam eſſe, ita intelligunt, ut non ſit ſemper neceſſaria in eodem intenſionis gradu. Nam ſi peccator, extra Sacramentum, velit in gratiam redire cum Deo, major charitas, ac magis intenſa requiritur: Si in Sacramento, minùs intenſa, ac paulò remiſſior ſufficit. Hâc ratione, contendunt ſuam ſententiam optimè cōciliari cum doctrinâ, Synodi Tridentinæ, & cum efficientiâ Abſolutionis Sacramentalis. Cùm enim Concilium ait Contritionem imperfectam; *quæ ſine Sacramento Pœnitiæ, per ſe, ad juſtificationem perducere peccatorem nequit, tamen eum, ad Dei gratiam, in Sacramento Pœnitentiæ, impetrandam, diſponere*; Sess. 14. Hujuſmodi Contritionem imperfectam ipſi interpretantur Contritionem, Charitate quidem,

ſed remiſsâ, & minùs intensâ formatam, quæ in Sacramento, at non, extra Sacramentum, ſufficiat, niſi ad majorem intenſionis gradum excreſcat.

Eodem modo, inquiunt, Pœnitentiæ Sacramento integra eſt ſua omnis efficacitas; quia licet Abſolutio Sacramentalis peccata non deleat, quando Pœnitens perfectâ illâ & vehementi Charitate incenſus accedit, ea tamen verè remittit, cùm Contritio eſt minùs intenſa, nec certum illum Charitatis & perfectionis gradum attingit.

Refell. Reſp. 1. Reſponſionem gratis excogitatam eſſe ex eo patet, quòd hujuſmodi intenſionis, ad amorem pœnitentem, extra Sacramentum, requiſitæ, nulla, in Scripturâ, aut Patrum lucubrationibus mentio, nullum planè veſtigium extet. Crebrò equidem ac ſollicitè tum

Prophetæ,

Digitized by Google

Prophetæ, tum Chriſtus ipſe, homines ad pœnitentiam, ad cordis converſionem, ad Dei amorem hortantur; ſed de certo illò intenſionis gradu ad eos virtutum actus neceſſario, mirum ubique ſilentium. Cùm autem vehementior ille conatus, quo actus cujuſpiam intenſio perficitur, arduus ſit ac maximè operoſus, tenentur ſanè adverſarii, qui tantum onus Chriſtianis Pœnitentibus imponunt, ejus neceſſitatem, eâdem, quâ Pœnitentiæ neceſſitas probatur, Scripturæ autoritate ſancire. Quis enim neget, ad eum, qui præceptum de re quapiam, aut legem latam eſſe contendit, ad eum, inquam, ſpectare, ut hujuſmodi legem indicet, ut præceptum illud appellet; quod præſtabunt adverſarii certè nunquam.

Deinde, quiſquis noxæ lethalis ſibi conſcius eſt, ut Deo reconci-

Digitized by Google

lietur, debet omnino, vi divini præcepti, ſi quidem Sacerdotis copia ſuppetit, ad Sacramentum Confeſſionis accedere; ſi Sacerdos deeſt, contritionem elicere Charitate perfectam. Hæc certiſſima eſt Eccleſiæ Catholicæ doctrina. Addunt adverſarii non ſatis eſſe ad obtinendam, extra Sacramentum, delictorum veniam, ut homo de illis doleat, ex Charitate perfectâ, hoc eſt, ex amore Dei ſuper omnia dilecti, ſed præterea requiri, ut amor ille ſit ad certum gradum intenſus.

Refell. Hoc autem ſive additamentum, ſive commētum ita rejicitur. Quia ſapientiſſimo Dei mandato, nemini, ad finem aliquem conſequendum, præcipitur, medium adhibere ſibi prorſus ignotum; Deus enim impoſſibilia non jubet: Atqui certus ille intenſæ Charitatis gradus cuilibet mortali planè ig-

Digitized by Google

notus eſt, qui qualis & quantus ſit, an ut quatuor, aut ut quinque, neque à Scripturâ, neque ab Eccleſiâ, neque ab adverſariis deſignetur: Divino igitur præcepto, nemini jubetur, ut dolorem, & Charitatem ad eum gradum intendat; ac proinde neceſſarius ille non eſt ad Juſtificationis gratiam, extra Sacramentum, obtinendam.

Et verò, cùm homini cujuſpiam criminis reo, propoſitâ Inferorum pœnâ, præcipitur, confeſſione Sacramentali, peccatum expiare; aut ſi Sacerdos non occurrat, Deum ex toto corde diligere, quem vehementer doleat offendiſſe, eo utique præcepto ſignificatur, ſcire hominem, quid ſit illa Dei dilectio ex toto corde, quid ſit Confeſſio ſacramentalis, hæc enim ſi invincibiliter, ut aïunt, ſeu nullâ ſuâ culpâ ignoraret, eo præcepto non teneretur; veriùs dico, nunquam

æquiſſimus Legiſlator præceptum hujuſmodi conſcripſiſſet. Eâdem ratione dicendum eſt, nullâ lege divinâ, potuiſſe conſtitui certum illum intenſæ Charitatis gradum, ad quem, homo cum Deo reconciliandus eniti debeat, ſi eum penitus ignoret; ac proinde neceſſarium non eſſe illum, ut pax & reconciliatio inter Deum & hominem ineatur.

Object. 1. At, inquies, nihil vetat Deum homini præcipere actus ipſi ignotos. Jubet enim exerceri à nobis actus ſupernaturales Spei & Amoris, licet ignoremus quid ſit ſupernaturalitas illorum actuum; licet incertum nobis ſit, an actus, qui eliciuntur à nobis, ſint ſupernaturales? Ita poterit imperare actus amoris ad certum gradum intenſos, quamvis ignotum nobis ſit, quænam ſit illa intenſio, nec obſervare un-

Digitized by Google

quam liceat, an illam tandem aſſequamur. Ita objiciebat, dum hæc noſtra relegeret, amicus hujus Academiæ Anteceſſor, Vir æque morum ſuavitate, & omni ſcientiarum diſciplinâ limatus, cui hæc reponebamus; P. Petr. Nicolas

Deum videlicet imperare nobis actum amoris, præſcindendo, ut aiunt, ſeu nullâ factâ mentione, an debeat eſſe ſupernaturalis. At ſimul complere potentiam auxilio gratiæ, quo actus ille ſupernaturalis efficiatur; ita ut, in eo rerum articulo, alterius ordinis eſſe non poſſit.

Ut autem illud opinemur, hæc ratio maximè ſuadet, quia Deus id tantum præcipit nobis quod eſt in noſtrâ poteſtate, non autem illud, quod ex mero ejus arbitrio pendet: Atqui ſubſtãtia actûs amoris, ſeorsùm, ſeu præcisè ſumpta, eſt in noſtrâ poteſtate: ſupernatu-

Digitized by Google

ralitas verò, ſive gratia, quâ amor evadit ſupernaturalis, nō à noſtrâ, ſed à merâ ejus voluntate pendet: Deus igitur ſolam amoris ſubſtantiam præcipit. Cùmque nemo ſit, tardi licet,obtuſique ingenii, quin optimè norit,quid ſit Deum amare, dici non poteſt, eo caſu, ignotum nobis aliquid imperari.

Deinde, ſi quis ſeriò exiſtimet deſignatum àDeo certum aliquem Cōtritionis,& Charitatis gradum, ad peccatorum veniam, extra Sacramentum, obtinendam, quanquam hujuſmodi gradus nobis ignotus ſit; ille certe pugnantia loquitur. Ex eo enim ſequitur, & requiri certum illum intenſionis gradum, & tamen alium quemcumque ſufficere: quod poſtremum ex eo convincitur, quia quando obligatio, rei cujuſpiam perficiendæ, confuſa & incerta eſt, ei, quâcumque prorsùs, ſeu copiosâ,

ſeu parcâ ſolutione ſit ſatis.

Verbi gratiâ. Sempronius moriens, in unâ teſtamenti clauſulâ profitetur, debere ſe Titio nummos aliquot, jubetque hæredem eos ritè perſolvere. Equidem licet Deo, rei alienæ reſtitutionem imperanti, nota ſit ſumma pecuniæ debita; quia tamen quanta illa ſit, dubium hæredi, incertumque eſt, eâ utique omni ſe obligatione exolvit, ſive nummos quinque, ſive duos, numeret creditori.

Eodem prorsùs modò, fac intenſam Charitatē, ad veram, extra Sacramentum, Pœnitentiam requiri; quamvis definitus intenſionis gradus Deo compertus ſit, cùm tamen à Pœnitente ignoretur, implebit ille omnino Pœnitentiæ præceptum, ubi Contritionis & Charitatis actum eliciet, ſive ad quinque, ſive ad quatuor, ſive ad duos gradus intenſum. Quare,

Digitized by Google

ut vitetur hujuſmodi repugnantia, quòd Dei dilectio remiſſa, ad veram Contritionem ſufficeret ſimul, & non ſufficeret; quòd Pœnitentiæ præceptum per eam impleretur ſimul, & non impleretur; dicendum eſt, ab homine, auxilio Sacerdotis deſtituto, non potuiſſe Deum, ad reconciliationem ſecum incundam, exigere certum intenſæ Charitatis gradum, ſi voluit eum nobis eſſe prorsùs ignotum.

Object. 2. Dices iterum, quamquam homini Pœnitenti deſignatus à Deo charitatis gradus ignotus ſit, vires nihilominùs omnes contendere debet, ut actum efficiat quàm maximè intenſum; eo enim pacto continget, ut amor ille tandem aliquando, ad definitum modum, ac terminum efferveſcat. En ſanè effatum hominum, miſeros mortales curis ſcrupuliſque vexare

Digitized by Google

xare, amantium. Cùm enim ad hujuſmodi actus eliciendos, magnus conatus, magna contentio adhibenda ſit, homo pœnitens corpus & animum perpetuò fatigabit, anxius, ſollicituſque, an ſuus ille fervor certum illum charitatis gradum obtineat. Adde quod, ut Deus nemini præceptum imponit adhibendi, ita neque tentandi medium, quod invincibiliter ignoratur; alioquin juberet rem impoſſibilem tentare, quod ab ejus ſapientiâ & æquitate prorsùs abhorret.

Tertia Ratio maximè efficax, quâ probatur, ad conſequendam extra Sacramentum, peccatorum veniam requiri amorem Dei ſuper omnia, non tamen in uno certo intenſionis gradu, ita ſe habet. In omnibus Scripturæ locis, ubi homines ad Pœnitentiam excitantur, id unum præcipitur, ut ani-

Refell. 3. ex ſcr. collig. Amori Dei, in quocũque gradu, promitti veniam pecc.

Digitized by Google

mum à vitioſo rerum creatarum amore avertant, convertant ad Deum, omnemque peccandi voluntatem abjiciant. Quæ ſi præſtiterint, certiſſima ſpondetur ipſis venia peccatorum. *Cum averterit ſe impius ab impietate ſua*, inquit Ezechiel, *animam ſuam vivificabit.* Rursùm, *avertens ſe ab iniquitatibus ſuis, vita vivet.* Et alibi. *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die converſus fuerit ab impietate ſuâ.* Apud Joëlem verò. *Convertimini ad me in toto corde veſtro. Convertimini ad Dominum Deum veſtrum, quia benignus & miſericors eſt, & præſtabilis ſuper malitiâ.* Atque illæ ſunt æquiſſimæ leges, quibus Deus optimus peccatorum veniam, & ſuam cum homine reconciliationem obſtrinxit; averſio, videlicet à pravo rerum creatarum affectu, & converſio ad Deum finem ulti-

Ezech. 18.

c. 33.

Joël. 2.

mum, & amantiſſimum parentem.

Atqui amore Dei ſuper omnia, in quocumque fuerit gradu, utraque illa conditio abundè perficitur. Dùm enim homo Deum amat, ex toto corde, ad illum utique ſuos omnes convertit affectus: dum eum diligit ſuper omnia, rebus illum creatis omnibus anteponit, ac proinde ab earum amore mentem revocat, ut totus adhæreat Creatori. En planè averſionem à re creatâ, & converſionem ad Deum, actu uno divini amoris, ſeu intenſus ille fuerit, ſeu remiſſus, cumulatè, ac luculenter expreſſam.

Confirmatur hæc noſtra animadverſio, autoritate ſancti Thomæ, quem ut nobis opponant, mirum eſt quàm importunè ejus verba detorquеant: verùm an illis faveat, ex iis quæ ſubjicio, ſpecimen capere liceat. Sic

Cònfir. Autor. S. Th. qui docet Cõtrit. in quocũque gradu, juſtificare.

itaque ratiocinatur in ſupplemen-
Suppl. q.5.a.1. „ to Tertiæ Partis.(Virtus & vitiū
„ eiſdem cauſis corrumpuntur,
„ & generātur, ut dicitur in ſecun-
„ do Ethicorum:ſed per inordina-
„ tum amorem cordis, peccatum
„ committitur: ergo per dolorem
„ ex amore Charitatis ordinato,
„ cauſatum ſolvitur, & ſic Con-
„ tritio peccatum delet.) Ecce, ad diluendum peccatum, nec amor intenſus, nec Contritio in certo Charitatis gradu, ſed dolor præcisè, Charitate, & amore benevolentiæ formatus, à ſancto Doctore requiritur. Et verò, ut amore cordis inordinato, etiam remiſſo, hominis voluntas à Deo avertitur, & ad res creatas convertitur; ita dicendum omninò, amore Charitatis ordinato, etiam in gradu remiſſo, eamdem voluntatem à rebus creatis averti, & ad Deum finem ultimum, ſuos

Digitized by Google

omnes affectus ritè convertere.

Quòd ſi quis nihilominùs obſtinatè contendat, intelligendam hîc Charitatem in certo gradu intenſam, audiat ſanctum Doctorem, de re totâ, clariſſimè decernentem. (Contritio, inquit, ha- Suppl.
„ bet duplicem dolorem, unum q. 5. a. 3. C.
„ rationis, qui eſt diſplicentia pec- & q. 1.
„ cati commiſſi; & hic poteſt eſ- a. 5.
„ ſe adeò parvus, quod non ſuf- ad 1.
„ ficiet ad rationem Contritionis;
„ ut ſi minùs ei diſpliceret pec-
„ catum, quàm debeat diſplicere
„ ſeparatio à fine. Sicut etiam
„ amor poteſt eſſe ita remiſſus,
„ quòd non ſufficit ad rationem
„ Charitatis. Alium dolorem ha-
„ bet in ſenſu; & parvitas hujus
„ non impedit rationem Contri-
„ tritionis; quia non ſe habet, per
„ ſe, ad Contritionem, ſed quaſi
„ ex accidenti ei adjungitur; &
„ iterum non eſt in poteſtate noſ-

Digitized by Google

„tra. Sic ergo dicendũ, quòd quan-
„tumcumque parvus ſit dolor,
„dummodò ad Contritionis ra-
„tionem ſufficiat, omnem cul-
„pam delet.) Ex quibus patet, in Cõtritione, & Charitate, duo ſpectanda eſſe; unũ quod earũ virtutũ naturã conſtituit, alterum quod eis caſu accidere ſolet; ſive ut loquitur D. Thomas, quod eis ex accidenti adjungitur. Ad naturam Contritionis pertinet, ut ſit diſplicentia & deteſtatio peccati commiſſi, & ad naturam perfectæ Charitatis, ut ſit dilectio Dei ſuper omnia: utrique autem caſu contingit, quòd in parte ſenſitivâ, modò majorem, modò minorem ſenſum efficiat; ſive, quòd fiat, modò majori, modò minori fervore: ac contentione animæ ſentientis.

Ait itaque S. Thomas*, ad eam Contritionem & Charitatem, quæ vim habent peccata delendi, pri-

Digitized by Google

mum requiri, non ſecundum; requiri, ut Contritio ſit vera peccati deteſtatio, Charitas verò, Dei dilectio ſuper omnia; non autem neceſſe eſſe, ut fiant magno potentiæ conatu, utque ad certum aliquem gradum intenſæ evadant. Cujus aſſertionis hæc ratio, ex verbis Sancti Thomæ, colligi poteſt, quòd eſſentia, ut vocant, hoc eſt natura doloris, & Charitatis, ſit actus rationis & voluntatis; in ratione autem & voluntate, non eſt propriè intenſio, & graduum latitudo, ſed ſolùm in appetitu ſenſitivo, qui vi doloris interni, modò vehementiùs, modò remiſſiùs commovetur. Unde ſic liceat argumentari. Ubi eſt tota eſſentia, ſive tota, & integra, natura doloris & Charitatis, ibi, ex mente ſancti Thomæ, eſt cauſa ad peccatum delendum idonea: ſic enim loquitur ſanctus Doctor.

Sua in 3. p. q. 85. d. 4. ſ. 4. n. 5.

„ (Dummodo dolor ad Contri-
„ tionis rationem ſufficiat, om-
„ nem culpam delet.) Atqui ſine graduum intenſione, exiſtit tota ſubſtantia Contritionis; quia juxta eundem ſanctum Thomam, Contritio eſt in voluntate, intenſio eſt propriè in ſenſu; ſic enim
q. 3. a. 1. C. „ ait, (In Contritione eſt du-
„ plex dolor, unus eſt in ipsâ vo-
„ luntate, qui eſt eſſentialiter ipſa
„ Contritio ... alius dolor eſt in
„ parte ſenſitivâ, qui cauſatur ex
„ primo dolore; & ille, ut ſupra dicebat, QUANTUMCUMQUE SIT PARVUS omnem culpam delet: Ergo poſitâ ſubſtantiâ Contritionis, abſque ullâ intenſione graduum, eſt cauſa ſufficiens ad delenda peccata, Deique clementiam exorandam.

q. 5. ſupra.

Rursùm, cùm iſti Autores aſſerunt, Contritionem & Charitatem, quibus extra Sacramentum, noxarum

noxarum venia obtinetur, eſſe debere ad certum gradū intenſas, ex ipſis percontari placet, an hujuſmodi virtutum actus, infra certum illum gradum, habeant naturam Contritionis & Charitatis? ſi non habent, quieſcit controverſia omnis; cùm enim loquimur de dolore, quo, extra Sacramentum, peccata delentur, ſermo eſt, de eo ſolùm dolore qui, ut ait D. Thomas, ad Contritionis rationem ſufficiat. Quare ſi Contritionis naturam non attingit, non ſufficit utique ad delenda peccata. Si actus illi habent naturā veræ Contritionis, & amoris Dei ſuper omnia, vim habent illicò hominem cum Deo reconciliandi, neque egent alio ullo intenſionis adjumento, ut ex animâ peccatum expellant. Hoc probant rationes ſuperiùs adductæ, & clariſſimè omnium autoritas ſancti

Digitized by Google

Thomæ, qui, ut patet, ad Pœnitentiam ſalutarem, non intenſionem, ſed ſolam actûs ſubſtantiam requirit.

Deus diligẽdus ſuper omnia, appret. non intenſivè.

At, inquies, fatentur omnes Charitatem, ex quâ perfecta Contritio coaleſcit, eſſe amorem Dei ſuper omnia, amorem ex toto corde: ex iis autem verbis arguitur, debere amorem illum eſſe valdè intenſum. Ut tollatur omnis vocum iſtarum æquivocatio, dico illis ſignificari, quòd Deus diligendus ſit appretiativè, magis quam res omnes creatæ, non magis intenſivè. Hoc eſt voluntas Deum amans debet eſſe ita comparata, ut, ſi neceſſe ſit, ab amore aliarum rerum omnium, potiùs quàm ab amore Dei, dimoveatur; non tenetur autem actum illum majori potentiæ ſenſitivæ conatu elicere, quàm actus alios, quibus res creatas anteà diligebat.

Digitized by Google

Quòd autem hujuſmodi actuum, amoris & Charitatis meritum omne, & dignitas exiſtimanda ſint, ex ea appretiatione, potiùs quàm ex intenſione, illud maximè probat, quòd actus unus intenſivè minor, poſſit eſſe major appretiativè, ac proinde alio longè præſtantior. Ponamus rem in exemplo. Cùm, ut ait Scriptura, *Anima Ionathæ conglutinata eſſet animæ David*, & diligeret eum Jonathas *quaſi animam ſuam*, credibile eſt Jonatham, ſive ex admiratione virtutis, ſive ob ſimilitudinem morũ, inter Juvenes bellatores, amore teneriori, ac magis intenſo, Davidem, quàm Saülem parentem dilexiſſe: ſuadet tamen præclara Regii adoleſcentis indoles, & ſapientia, amatum ab eo Saülem magis appretiativè, quàm Davidem; hoc eſt, paratum illum fuiſſe patris ſalutem & commoda,

1\. Reg. 18.

Digitized by Google

Davidis ſaluti & commodis anteponere; ac, ſi caſus urgeret, promptiùs, ac majori ſtudio, patri quàm amico ſubvenire. Quod de Jonatha dictum eſt, de quolibet alio adoleſcente, pari morum ſuavitate, atque indole prædito, dictum velim, poſſe illum videlicet, patrem, licet minùs intensè, quàm ſodalem amicum, magis tamen appretiativè, adeòque nobiliori, ac præſtantiori Charitate diligere.

Stet ergo, perfectam illam eſſe Charitatem, quæ Deum, ex toto corde, ac ſuper omnia diligit, ſive fuerit multùm, ſive parum intenſa; ac proinde abſque eo intenſionis gradu, quem adverſarii fingunt, ad Contritionem perficiendam, & peccata delenda, prorsùs idòneam. Si vim habet peccata delendi, nihil efficiet Abſolutio Sacramentalis, cujus actionem &

Digitized by Google

efficientiam jam Charitas occupavit.

Reſpondent ſecundò, eſto perfecta Contritio, & amor Dei ex toto corde, in quocumque intenſionis gradu, vim habeant peccata delendi, hoc tamen non obſtare Abſolutionis Sacramentalis efficientiæ, quæ duobus modis explicari, & defendi poteſt. 2. Reſpōſio adverſ. virtutem Sacram. Pœnit. explic. duobus modis.

Primus explicandi modus, quem fuſiſſimè refert, & plurimùm laudat Caſtorienſis, traditur ab Eſtio, cujus ſententiam, ut aſſerit idem Autor, in multis ſequuntur moderni Lovanienſes. Itaque docet Eſtius, in peccato mortali, duo diſtinguenda eſſe, averſionem à Deo, & reatum pœnæ æternæ. An autem hujuſmodi averſio, ſit ille, quem Theologi vocant, reatum culpæ, non ſatis clarè deſignat. Quibus poſitis, ait, vi Contritionis, Dei amore, informa-

Primus eſt apud Caſt. c. 28. §. 2.

Eſtius in l. 4. Sent. d. 17. §. 1.

Digitized by Google

tæ, tolli averſionem à Deo; accedente verò abſolutione Sacramentali, tolli reatum pœnæ, ſeu obligationem mortis æternæ. Unde fit, ut, beneficio Contritionis, homo vivere Deo incipiat; vi abſolutionis, perfectè vivificetur. Deo quidem, vi Contritionis, vivere incipit, quia dolor ille, & amor, quo jam uni Deo ſervire ſtudet, & in ejus viis ambulare, alicujus vitæ actus, & ſigna ſunt. Adhuc tamen æternæ damnationis, quæ animæ ſecunda mors eſt, reus manet, donec reatus ille, & pœnæ acerbiſſimæ onus, Sacramento, diſſolvatur.

Ratio, quâ ad iſtud opinandum adducitur, ea eſt, quia, licet vera Pœnitentia, quâ homo ad Deum convertitur, donum ſit Spiritûs ſancti, nobis, in gratiam Chriſti patientis, morientiſque conceſſum; peccatum tamen, ac

Digitized by Google

pœna peccati non remittuntur, niſi meritum ejus Paſſionis, quatenùs ſatisfactoria eſt, homini jam pœnitenti applicetur: Atqui hujuſmodi ſatisfactio non applicatur, intuitu Pœnitentiæ, ſeu Contritionis, ſed intuitu Sacramenti... Probat hanc aſſumptionem, quia condonatio peccati, & pœnæ ob peccatum infligendæ, eſt novum beneficium, à Pœnitentiæ dono diſtinctum: nemo enim, lege aliquâ, aut naturali aut ſcriptâ tenetur, ei etiam, qui ex animo dolet, acceptam injuriam condonare. Quare novæ, &, juxta Auguſtinum, magnæ eſt miſericordiæ, quòd peccatoribus jam converſis Deus peccata condonet.

Confirmat geminum illud beneficium, duplicemque vitam, quarum una, Contritione, alia Sacramenti ſuſceptione acquiritur, confirmat, inquam, auto-

Digitized by Google

ritate Patrum, Auguſtini, Gregorii, Ambroſii, Eucherii, qui exiſtimant hanc utramque vitam, reſurrectione Lazari adumbratam. Sicut enim Lazarus à Chriſto reſtitutus in vitam fuit, mox ab Apoſtolis faſciis & vinculis ſolutus, *Solvite illum*, aïebat Chriſtus, *& ſinite abire*, ita, inquiunt, primùm vivificatur anima peccatoris, quãdo ei vera Pœnitentia, & cordis converſio à Deo immittitur. Deinde etiam vivificatur, cùm à reatu, ſeu obligatione mortis æternæ, per Eccleſiæ miniſtros abſolvitur. Hæc eſt ſumma doctrinæ Eſtii, quam Caſtorienſis, ut dixi, fusè proſequitur: quâ fide, quo conſilio, planè non video, cùm hæc ſententia falſa ſit, & ipſi certè non faveat.

Refell. illa Eſtii doctr. Dixi 1. hanc Eſtii ſententiam, Caſtorienſi, & aliis timoris Pœnitentis oſoribus, non favere, quia nihil

nihil omninò juvat ad conciliandam Abſolutionis Sacramentalis efficientiam, cum efficientiâ perfectæ Contritionis, in quo illi maximè laborant. Nam Eſtius, ut refert ipſe Caſtorienſis, diſertè docet, impugnando ſententiam Magiſtri in quartum ſentent. veram Pœnitentiam, & Contririonem perfectam, etiam in certo gradu, non eſſe, ex perpetuâ Dei lege, cum peccatorum remiſſione conjunctam; neque illud ſemper, aut frequenter, ſed rarò contingere; puta, cùm in articulo mortis, aut alio ſimili caſu, Sacerdos haberi non poteſt. Tunc enim peccata delentur, ſed non tam virtute Contritionis, quàm novo Dei beneficio Sacramentum benignè ſupplentis.

1. non favet adverſ. quia non conciliat virtutem Sacrament. cum virt. Cõtrit. Eſtius In 4. Sent. d. 17. Caſt. p. 591.

Eſtio itaque difficile non eſt conſulere efficientiæ Abſolutionis Sacramentalis, cui perfecta Contri-

tio præit, quandoquidem ipſe exiſtimat, ſoli Contritioni vim nullam ineſſe peccata delendi. Nam ſi Contritio peccata non delet, non prævertit actionem Sacramenti, ac proinde ſua Sacramento efficientia ſarta integráque ſervatur. Concordia difficilis eſt Caſtorienſi, & aliis, qui docent Contritionem, ex Dei amore, ad certum gradum, intenſo, delere peccatum. Si enim hujuſmodi Contritio, cum primùm elicitur, peccati maculam omnem abſtergit, nihil prorsùs eluendum, Abſolutioni relinquitur. Atque ex eo intelligi poteſt, quantùm inter iſtos Autores conveniat, quorum alii ſuam perfectæ Contritioni, alii ſuam Pœnitentiæ Sacramento, virtutem atque efficientiam ſubtrahunt. Jungant nihilominùs dextras, per nos licet, ut ſententiam noſtram oppugnent, arcem

Digitized by Google

certè nunquam invadent, dum in partes, & ſtudia adeò contraria diſtrahentur.

Dixi ſecundò, hanc Eſtii, & recentiorum Lovanienſium, de Contritione, doctrinam eſſe falſam; quod ita probatur. Certum eſt, peccatum mortale, quod actu committitur, eſſe actualem averſionem à Deo, ex quâ protinus emergunt, tum averſio habitualis, quam Theologi appellant reatum culpæ; tum reatus pœnæ, ſive obligatio æternæ apud inferos combuſtionis.

Refell. 2. quia illa doctr. eſt falſa quæ ſtatuit Contr. non delere pecc. maculam.

Jam verò, cùm iſti Autores dicunt Contritionem tollere averſionem à Deo, Abſolutionem Sacramentalem ſolvere reatum ſeu debitum pœnæ æternæ: cùm dicunt animam peccatoris à morte, ad vitam revocari, per Pœnitentiam, & Contritionem; deinde etiam vivificari, cùm à reatu, &

Digitized by Google

obligatione mortis æternæ, per Eccleſiæ miniſtrum, abſolvitur: vel ſenſus eſt, quòd Contritio tollat reatum culpæ, & peccati maculam; Sacramentum verò reatum pœnæ: vel ſenſus eſt, quòd Contritio tollat ſolùm averſionem actualem, Abſolutio verò Sacramentalis peccati maculam deleat, ac debitum ſimul æternæ mortis extinguat.

Primùm dici non poteſt, quia reatus culpæ mortalis, & reatus pœnæ æternæ ſunt, inter ſe, ita connexi, ut unus ab alio ſejungi non poſſit. Cùm enim peccati macula, ſive reatus culpæ, non niſi per gratiam ſanctificantem deleatur, quâ quidem gratiâ, homo Dei amicus & filius, atque hæres regni cœleſtis efficitur; ſi ſublato, vi Contritionis, reatu culpæ, permaneret reatus pœnæ, homo eſſet Dei amicus & filius, ad regni

Digitized by Google

cœleſtis hæreditatem jus haberet, & ſimul dignus foret qui Deo, in perpetuum, careret, ac ſempiternis inferorum ignibus torqueretur; quæ quantùm à ratione, & ſanâ Theologiâ abhorreant, nemo non videt.

Si ſecundùm ab Eſtio, & ſodalibus aſſeritur, Contritione ſcilicet, & Charitate auferri dumtaxat averſionem actualem, hominemque ideò ſolùm vivificari, quia Deum amare eſt quodammodò vivere; ipſam verò peccati maculam & reatum pœnæ æternæ, tolli penitùs abſolutione Sacramentali, hinc ſequitur hominem verè pœnitentem, quantùmvis eliciat actum Contritionis, Deumque diligat ex toto corde, adhuc tamen eſſe peccati reũ, Deo exoſum, & ſempiternis inferorum pœnis obnoxium. Hæc, Eſtianæ doctrinæ conſectaria, admittunt ultrò

ejus ſodales, teſte Caſtorio, à quo. Tota illa de eorum ſententiâ, diſputatio ita concluditur. (quam-
Caſt.c. 28.§.1. „ vis peccator, qui de commiſſis
„ in Deum offenſis, ex corde do-
„ lens, eum tanquam juſtitiæ fon-
„ tem diligit, jam Deo vivere in-
„ cipiat, & Dei vivificante ſpi-
„ ritu motus & excitatus uni Deo
„ ſervire ſtudeat, & in ejus viis
„ ambulare, quæ alicujus vitæ
„ actus & ſigna ſunt; nondum ta-
„ men plenè vivificatus eſt; ſed
„ adhuc æternæ damnationis, quæ
„ animæ ſecunda mors eſt, reus,
„ imò juxtà Lovanienſes, & cul-
„ pa ipſa manet, donec in Baptiſ-
„ mi, vel Pœnitentiæ Sacramento,
„ & culpa deleatur, & reatus pœ-
„ næ æternæ diſſolvatur.

En igitur hominem verè, & ex animo pœnitentem, adhuc tamen peccati, & mortis æternæ reum! En perfectam Contritio-

Digitized by Google

nem cum culpâ mortali, & reatu pœnæ æternæ unà compoſitam!

At videtur primò illa ſententia Scripturæ adverſari, quæ in locis ſuperiùs adductis, veræ mentis converſioni, hoc eſt, Contritioni Charitate perfectæ, peccatorum veniam, ac Dei amicitiam certiſſimè ſpondet. *Impietas impii*, inquit Ezechiël, *non nocebit ei, in quâcumque die converſus fuerit ab impietate ſuâ.* Notanda ſunt illa verba, *in quâcumque die converſus fuerit*; Senſus eſt enim, ſive ante baptiſmum de peccatis doleat, ſive in ipsâ ſuſceptione baptiſmi; ſive in Sacramento Pœnitentiæ, ſive extra Sacramentum. Item, *cùm averterit ſe impiùs ab impietate ſuâ, animam ſuam viviſicabit.* Quanquam illa Scripturæ verba clariſſima ſint, ex iis tamen ſic liceat argumentari. Ante inſtituta à Chriſto Sacramenra, per-

Prob. Cõtrit. perf. obtin. veniam peccat. 1. Autor. ſcr. Ezech. 33.

c. 18.

fectæ Contritioni conjuncta erat venia peccatorum : Ergo etiam poſt inſtituta Sacramenta. Cùm enim Dei dona ſint ſine pœnitentiâ, non eſt veroſimile, illum, conceſſa olim, ad ſalutem, media, jam hominibus abſtuliſſe; abſtulit autem, ſi vim Contritioni ſuam, ſuumque Pœnitentiæ,& Charitati pretium, meritumque detraxit. Adde loca novi Teſtamenti, in quibus, Dei amicitia, adeòque venia peccatorum promittitur
Jo. 14. Charitati. ***Si quis***, inquit Chriſtus, ***diligit me, mandata mea ſervabit, & Pater meus diliget***
Luc. 7. ***eum.*** de Magdalenâ verò ſic ait, ***Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multùm.***

Prob. 2. Conſt. ſum. Pontif. 2. Adverſatur illa ſententia conſtitutionibus ſummorum Pontificum, Pii Quinti, & Gregorii decimi tertii, à quibus damnatæ ſunt hæ Baii propoſitiones. 31.

Charitas

Charitas perfecta & ſincera, quæ eſt ex corde puro, & conſcientiâ bonâ, & fide non fictâ, tam in Catechumenis, quàm in Pœnitentibus, pôteſt eſſe ſine remiſsione peccatorum. Item 32. *Charitas, quæ eſt plenitudo legis, non eſt ſemper conjuncta cum remiſsione peccatorum.* Similiter 70. *homo exiſtens in peccato mortali, ſive in reatu æternæ damnationis, poteſt habere veram Charitatem.* Demùm 71. *Per Contritionem etiam cum Charitate perfectâ, & cum voto ſuſcipiendi Sacramentum, conjunctâ, non remittitur crimen, extra caſum neceſsitatis aut martyrii, ſine actuali ſuſceptione Sacramenti.* Annon Baïana, hæc dogmata habent ipſiſſimam adverſariorum doctrinam?

Reſpondent, in illis Pontificum conſtitutionibus, ſermonem eſſe de Charitate habituali, quam ſapientiſſimi Pontifices aſſerunt con- Reſpõſio Adverſ.

Digitized by Google

junctam eſſe cum remiſſione peccati ; non loquuntur autem de Charitate , & dilectione actuali , quam Eſtius , aliique contendunt ſtare poſſe cum peccato , & reatu damnationis æternæ.

Verùm iſti adverſariorum effugio , multiplici ratione occurritur.
Refell. 1. Primò agitur in illis propoſitionibus de eâ dilectione , quâ Contritio perficitur , quâ Contritio perfecta ab imperfectâ diſtinguitur: Atqui illa eſt dilectio actualis, quâ ſcilicet homo dolet de peccatis , propter Deum,quem ſuper omnia diligit.

Præterea agitur de Charitate , quæ eſt plenitudo legis gis ut patet ex prop. 32. Lex autem impletur per actualem dilectionem , non per habitualem , quia cùm illa ſit in noſtrâ poteſtate , iſta verò à Deo infundatur, lex certè divina, quod pendet à ſo-

Digitized by Google

lo Deo, non imperat homini.

Deinde, ſi in modò laudatis conſtitutionibus, iis ſolùm cenſoria nota inureretur, qui dicunt Charitatem habitualem conſiſtere cum peccato, & reatu æternæ damnationis, caſſa omninò, irritáque foret animadverſio, neminemque prorsùs feriret Pontificium fulmen. Cùm enim Charitatis habitualis nomine, intelligatur vel gratia ſanctificans, vel ipſe habitus Charitatis, in gratia, ex quâ oritur, velut in radice inſertus, nemo eſt ſanè qui ſentiat gratiam ſanctificantem, vel habitum virtutis alicujus cum gratiâ neceſſariò conjunctum, conciliari ſimul cum culpâ mortali, & cum reatu pœnæ æternæ. *Quæ* enim, inquit Apoſtolus, *conventio Chriſti, ad Belial? quæ participatio juſtitiæ cum iniquitate?* Uno verbo quæ concordia amicitiam inter & Refell. 2.

inimicitiam cum Deo, inter gratiã, quâ homines Dei amici, & peccatum, quo Dei inimici efficiuntur?

Refell. 3. Tertiò, cùm ſuperiores propoſitiones è ſcriptis Baïi excerptæ fuerint, Pontificum certè mens fuit, hujus autoris doctrinam, ſententiamque damnare: Atqui ea fuit ejus ſententia, quòd peccatum remaneret cum dilectione actuali: cur enim Eſtius, aliique ejus diſcipuli idipsùm tam acriter tuerentur, niſi accepiſſent à Magiſtro, cui ferè in omnibus mordicus adhærent? Deinde non fuit rerum Theologicarum adeò expers Academiæ Lovanienſis Cancellarius, ut exiſtimaret, virtutis alicujus, puta, Charitatis habitum, cum gratiâ ſanctificante, neceſſariò conjunctum ſtare, poſſe cum peccati maculâ, & reatu mortis æternæ.

Dixi, hanc fuiſſe Pontificum mentem, ut Baïi ſententiam, ſeu

ut vulgò dicitur, ſenſum à Baïo intentum reprobarent; niſi quis forte exiſtimet eos à ſcopo aberraſſe, nec probè intellexiſſe, quis fuerit ſenſus hujus autoris; atque ad confirmandam ſuam opinationem, hîc quoque famoſam juris, & facti diſtinctionem adhibeat?

Atenim dubitationem hanc omnem, ſi quæ foret, ſubſtulit olim ipſemet Baïus, recantatis palam erroribus, qui fuerant à Sede Apoſtolicâ notati. Sic enim ait, in eâ retractatione, quam Romam miſit anno 1580.

„ [Ego Michaël de Baïi Can-
„ cellarius Univerſitatis Lovanien-
„ ſis, agnoſco & profiteor earum
„ omnium ſententiarum damna-
„ tionem, atque prohibitionem,
„ jure meritòque factam, atque
„ decretam eſſe. Fateor inſuper
„ plurimas ex iiſdem ſententiis,
„ in nonnullis libellis, à me olim

„ & antè emanatam Sedis Apoſto-
„ licæ cenſuram, conſcriptis, & in
„ lucem editis contineri & defendi,
„ etiam in eo ſenſu, in quo repro-
„ bantur; denique declaro me in
„ præſentiarum, ab iis omnibus re-
cedere.] Quâ Confeſſione, hæc adverſariorum reſponſio penitùs jugulatur. Stet ergo hanc Eſtii ſententiam, quòd perfecta Contritio non inferat remiſſionem peccati, contrariam eſſe ſummorum Pontificum decretis.

Prob. 3. Autor. Conc. Trid. Contr. perf. juſtificare peccatorem.

3. Pugnat etiam cum doctrinâ Concilii Tridentini, quod in ſæpe memorato capite quarto ſeſſionis decimæ quartæ, clariſſimè ſtatuit, *aliquando contingere Contritionem eſſe Charitate perfectam, & hominem Deo reconciliare, priùſquam Sacramentum actu ſuſcipiatur.* En decretum, Lovanienſium Eſtianorum doctrinæ, planè oppoſitum. Reſpondent tamen,

Digitized by Google

juxta ipſa Concilii verba, aliquando ſolùm contingere, Contritionem eſſe Charitate perfectam; & hominem reconciliare cum Deo; ac proinde verum non eſſe, quòd illa ſemper conjuncta ſit cum veniâ peccatorum.

O, merum in re maximè ſeriâ, verborum ludum! Equidem ſi Concilium mediæ propoſitioni infinderet vocem *aliquando*, hoc pacto; *quando Contritio eſt Charitate perfecta, contingit aliquando hominem Deo reconciliare, priuſquàm actu ſuſcipiatur Sacramentum*; tunc cauſam adverſarii obtinerent; verùm non ita res habet. Concilium enim hujuſmodi vocem, initio propoſitionis conſultò præfixit, quò ſignificet, caſu quidem contingere, ut dolor, qui, ex metu pœnarum elici poterat, ex motivo perfectæ Charitatis eliciatur; verùm poſito quòd adſit

perfecta illa Dei dilectio, non aliquando ſolùm, ſed conſtanter & neceſſariò hominem reconciliare cum Deo,

Idem Prob. 4. Autor. S. Th.

4. Refellitur denique illa Eſtii, cjuſque diſcipulorum ſententia, inſigni teſtimonio divi Thomæ, qui certiſſimè ſtatuit Contritionem, in quocumque intenſionis gradu, eſſe gratiâ ſanctificante formatam, hoc eſt ex perpetuâ Dei lege, cum gratiâ eſſe conjunctam; in quo conveniunt omnes Theologorum Scholæ, ſive Contritio ab ipsâ gratia ſanctificante efficiatur, ut contendunt Thomiſtæ, ſeu Contritionem gratia comitetur, ut cæteri Theologi docent. Ex eâ porrò Contritionis cum gratiâ conjunctione rectè collegit ſanctus Doctor, Contritioni vim ineſſe certiſſimam peccata delendi. Eſt autem hujuſmodi, & quidem decretoria argumentatio

ſancti

Digitized by Google

ſancti Doctoris Quæſt. 5. ſupplementi, art. 3. (quælibet gratia gratum faciēs delet omnem culpam
„ mortalem , quia ſimul cum eâ
„ ſtare non poteſt: ſed quælibet
„ Contritio eſt gratiâ gratum fa-
„ ciente informata , ergo quan-
„ tumcumque ſit parva , delet
„ omnem culpam.) Et 3. p. q. 89.
„ a. 2. c.) motus liberi arbitrii ,
„ qui eſt in juſtificatione impii , eſt
„ ultima diſpoſitio ad gratiam ;
„ unde in eodem inſtanti , eſt gra-
„ tiæ infuſio, cum prædicto motu
„ liberi arbitrii, in quo quidem
„ motu comprehenditur actus
Pœnitentiæ.) Verſent, quantumlibet , in omnes partes , expendant , torqueant adverſarii , verba ſancti Doctoris , nihil ille ſanè luculentiùs afferre poterat , ad probandum verâ Contritione peccatum expelli. Conſtabit illud ipſum certo certiùs , ſi rationes ſuperiùs

Digitized by Google

adductæ cum Eſtianorum rationibus conferantur.

1. Rat. quâ Eſtius. prob. Contr. non juſtificare.

Nec peccatum, inquiunt, nec pœna peccati condonatur unquam, niſi virtus Chriſti paſſionis, ut ſatisfactoria eſt, applicetur homini pœnitenti. Dictum planè aureum. Atqui, pergit Eſtius, ſatisfactio Chriſti patientis impertitur dumtaxat, cum ſuſcipitur Sacramētum reconciliationis, pœnitētiæ videlicet aut Baptiſmi.

Refell. Eſtii Ratio.

At cum bonâ ejus veniâ illud aſſumptū acriter pernegamus. Neque enim pretium ſatisfactionum Chriſti, nobis ſolùm confertur in ſuſceptione Sacramentorum, ſed in omnibus Chriſtianarum virtutum operibus, Eleemoſinâ, Jejunio, mœrore animi, corporis maceratione, quibus Deo, pro illatis injuriis facimus ſatis, ejuſque Juſtitiam mitigamus. Quod ſanè eâ potiſſimùm ratione conficitur;

Digitized by Google

quia nullum virtutis opus à Deo accipi, aut violatum ejus Numen placare poteſt, niſi Chriſti meritis imbutum fuerit, atque ab ejus ſatisfactione, vim in primis ſuam, ac pretium habeat. Cùm autem in Eccleſiâ Catholicâ, dogma ſanctiſſimum ſit, quòd laborioſis illis virtutibus, Deo, ſceleribus noſtris, offenſo, fiat ſatis, ipſáque peccatorum pœna redimatur; ex eo certiſſimè conſtat, hujuſmodi virtutum operibus, quocumque loco ac tempore, ſeu intra, ſeu extra Sacramenta, exerceantur, nobis Chriſti patientis merita, ac ſatisfactiones applicari.

At, inquies, poſtquam Deus ſingulari gratiæ dono, veram Contritionem, in mentem hominis Pœnitentis, injecit, novum eſt beneficium, quòd illi peccata condonet; Neque enim in ullo ſeu divino, ſeu humano judicio, tenetur Inſt.

Reſp. Inſtantiæ. Judex Rei ſatisfactionem accipere, eique, licet de crimine dolenti, noxam, pœnamque remittere.

Fateor homini Pœnitenti duplex à Deo conferri beneficium, cum ei, intuitu Contritionis, peccatorum venia datur. Unùm, quòd illi veram ac ſupernaturalem Contritionem immittat; alterum, quod ex merâ ſuâ benignitate, voluerit hujuſmodi Contritioni veniam peccatorum adſtringere. Cùm enim Contritio, quantâvis Charitate perfecta, non ſit condigna, ut vocant, ſeu æqualis ſatisfactio cum divinâ offensâ, & reatu pœnæ æternæ, non tenetur utique Deus illam accipere, ejuſque vi, & efficacitate, pœnæ æternæ debitum condonare: quare novæ, ac ſingularis benignitatis eſt, imparem illam ſatisfactionem ultrò admittere, eique, certâ ac perpetuâ lege, peccatorum ve-

Digitized by Google

niam obligare.

Conceſſo itaque jam, homini Pœnitenti, ſalutari illo Contritionis dono, agnoſco novum eſſe beneficium, quòd eo animi motu inferioris longè pretii, voluerit Deus deleri culpam, & pœnæ debitum extingui. Contendo tamen non ſuſpendi beneficium illud, ut gratis adverſarii fingunt, donec Sacramentum accedat; ſed protinùs eſſe, ex liberâ & conſtanti Dei acceptione, cum ipsâ Contritione conjunctum. Hoc autem nos gratis non fingimus, ſed probamus Scripturæ locis ſuperiùs memoratis, quibus Deus, cordis converſioni, vitam animæ, ſcelerum veniam, ſuamque amicitiam pollicetur.

Pergit Eſtius fucum facere, cùm aït, incipere hominem Pœnitentem Deo vivere, dum actus exercet Contritionis, & Charitatis, 2.Rat. Eſtii.

qui alicujus vitæ actus, & ſigna ſunt; plenè autem vivificari, & vitam integram adipiſci, cùm à Sacerdote, noxarum abſolvitur.

Refell. Verùm ſciſcitari ex eo placet, an vita illa, quam homo contritus incipit vivere, Phyſica ſit, vel ſpiritualis? Si primum, ludicra eſt planè animadverſio; nam ante ſuam illam Contritionem, homo vitam naturalem ac Phyſicam jam vivebat. Præterea dici poſſet eum, qui de peccatis dolet, ob metum pœnarum, incipere etiam Deo vivere, quia hujùſmodi doloris actus, *alicujus vitæ actus & ſigna ſunt.*

Si ſecundum, longiſſimè recedit à ſenſu Scripturæ, & ſanctorum Patrum, qui tunc ſolùm vivere peccatorem ſentiunt, cùm à peccatis reſurgit, nec vitam ſpiritualem aliam norunt, quàm eam, ut ait Apoſtolus, *quâ peccatis mor-*

Digitized by Google

tui, juſtitiæ vivimus. Et ſanè, difficilè eſt aſſignare uſum & munera hujuſmodi vitæ, ſi aliâ ratione intelligatur.

Sed neque plus favet adverſariis metaphora, à reſurgente Lazaro, ad vitam illam duplicem traducta. Si enim eo, miraculo, peccatoris converſio adumbratur, omninò dicendum eſt, ſicut Lazarus à mortuis excitatus, vitâ planè, & ſpiritu fruebatur, priuſquam Apoſtolorum operâ, faſciis & lineis vinclis eximeretur; ita homo peccator, vi Contritionis & Charitatis, gratiam ſanctificantem, quâ Deo vivitur, ante adeptus ſit, quàm à Sacerdote, Abſolutionis beneficio impertiatur. Quod planè jugulat eorum ſententiam, qui hanc metaphoram nobis opponunt.

Ut autem intelligatur, quomodò ille, qui Contritionis me-

Digitized by Google

rito, jam peccatorum vinculis exolutus eſt, adhuc tamen ab Eccleſiæ miniſtris, in Sacramento, ſolvatur, ſtatuendum eſt, poſt impetratam à Deo, vi Contritionis & Charitatis, peccatorum mortalium veniam, remanere obligationem ea clavibus Eccleſiæ ſubjiciendi, hoc eſt, Sacerdoti, ſacrâ Confeſſione declarandi; adeò ut, niſi hujuſmodi legem impleverit, novi ſe peccati vinculo obſtringat. Quare non eſt omninò liber, ſaltem ab onere & obligatione novi peccati contrahendi, donec eâ, Sacerdotis miniſterio, eximatur.

Rem unius exempli appoſitione illuſtro. Cùm debitor ære obrutus alieno, in vinculis detinetur; moxque ſolutionis ſponſione factâ, eâ lege dimittitur, ut carceri ſe reſtituat, niſi ad certam diem, pactam pecuniam repræſentet; ille

Digitized by Google

ille certè, quamquam vinculis ſolutus eſt, perque omnia urbis compita ſpatiatur, cùm tamen jus creditori ſit, eum rurſus in nervum corripere, niſi promiſſa faciat, ille inquam plenè liber haberi non poteſt, donec, ad conſtitutam diem, pacto ære ſe liberet, datamque creditori fidem exolvat. Ita qui ope Contritionis, & Charitatis, reconciliatâ cum Deo gratiâ, in libertatem ſe Dei filiorum aſſerüit, cùm adhuc divinâ lege teneatur, peccata licet condonata judicio Sacerdotis ſubjicere, ac, ni pareat, novo ſe piaculo obſtringat, ille inquam, perfectè liber cenſeri non poteſt, donec, Sacerdoti peccata confeſſus, eâ obligatione ſolvatur.

Atque hæc abundè probant, Contritionem, & Charitatem, ex conſtanti & perpetuâ Dei lege, hominem Deo reconciliare, ac

Digitized by Google

proinde Abſolutionem Sacramentalem nihil unquam efficere; ſi Contritio Charitate perfecta ad eam, velut diſpoſitio neceſſaria requiratur.

2. Modus Concil. virtut. Sacramenti cum efficacitate Contrit. in Sent. Adverſ. Caſtor. c. 29. §. 2.

Alter modus, quo Caſtorienſis virtutem Sacramenti Pœnitentiæ cum efficacitate Contritionis conciliare conatur, eſt hujuſmodi. Licet, inquit, Contritio Charitate perfecta peccatum deleat, ſeorſum ab Abſolutione Sacramentali, cùm tamen id nunquam præſtet, niſi conjuncta ſit cum voto, ſeu deſiderio Sacramenti, ex eo omninò conſequitur, hanc peccati expulſionem, Contritioni ſimul, & Sacramento tribuendam. Quemadmodùm enim antiquis Patribus, intuitu Chriſti meritorum, juſtitia, & ſanctitas cônferebatur, quamvis illi Chriſti venturi tempora, longo intervallo, anteirent; ita dici poteſt, virtute Sacramen-

ti Pœnitentiæ, homines Deo reconciliari, licet hujuſmodi reconciliatio, Abſolutionis exercitium antecedat.

Verùm, illam quoque concordiæ viam inutilem eſſe, & à propoſito alienam, multiplici ratione conficitur. Refell. 2a. concordiæ via. & prob. 1. per votum Sacramenti, non explicari efficiẽtiam Sacramenti

Prima eſt quia Sacramenta efficientiam habent, vel cauſæ Phyſicæ, ut pars una Theologorum exiſtimat, vel cauſæ moralis, ut altera docet; & ad gratiam producendam alterutro modò, verè concurrunt. Cui ſanè virtuti, & efficientiæ inprimis cautum eſſe oportet: Atqui propoſita concordiæ via id planè non præſtat. Nam juxta illam, Sacramentum Pœnitentiæ nullomodò dici poteſt cauſa gratiæ, ſeu Phyſica, ſeu Moralis. Non ſanè Phyſica; quia Sacramentum, ſicut nec quælibet alia cauſa, Phyſicè agere poteſt, 1. Ratio.

Digitized by Google

antequam exiſtat, imò quod fortè nunquam exiſtet, ut contingit cùm homo Pœnitens, poſt elicitum Contritionis actum, repentinâ morte extinguitur, antequam ad Sacramentum accedat.

Sed neque dici poteſt cauſa moralis, quæ Deum moveat ad gratiam, in Pœnitentis animum, infundendam, dum ille Contritione, & Confeſſionis voto ſupplet vicem, atque abſentiam Sacramenti.

1. Quia illud non poteſt habere efficientiam ullam, nec rationem cauſæ, ſeu phyſicæ, ſeu moralis, quod neque exiſtit, neque futurum eſt, ſed neque poſſibile; quando videlicet homo conteritur moribundus, deſertâ in inſulâ, aut in extremâ Japoniâ, ubi Sacerdos nullus adeſt, qui confitentem abſolvat.

2. Ideò efficientia illa cauſæ

Digitized by Google

moralis, hoc eſt gratia & peccatorum venia, quæ homini Pœnitenti conceduntur, tribuuntur Sacramento, quia conferũtur intuitu Contritionis, quæ Sacramenti votum includit; hanc autem ſeu conſecutionẽ, ſeu conjecturam fallacem eſſe, ex eo patet, quòd votum Sacramenti, & Sacramentum ipſum, res duæ ſint inter ſe maximè diverſæ, adeóque effectus, ſeu præmium unius, alteri aſſignari non debeat. Nam votum ſeu deſiderium Sacramenti eſt actus à Pœnitente elicitus, Abſolutio Sacramentalis eſt actio judicialis, quam Sacerdos exercet: Atqui actus Pœnitentis, & actio Sacerdotis inter ſe longiſſimè diſcrepant, unde fit, ut quod ab uno efficitur, alteri aſcribi non poſſit.

Rursùm in ſuſceptione Sacramentorum diſtingunt Theologi paſſim opus operantis, & opus

Digitized by Google

operatum; mox utrique tribuunt vim, ac notionem planè diverſam. Et opus quidem operatum vocant efficientiam Sacramenti, opus verò operantis, virtutum actus à ſuſcipiente elicitos; itaut Sacramẽto, & actibus illis, effectus varii, diverſáque reſpondeant gratiæ dona. Quare vocabulis abutuntur Autores iſti, ſuiſque lectoribus fucum faciunt, dum Sacramenti votum, cum Sacramento ipſo confundunt, & quod unius proprium eſt, cum alio volunt eſſe commune.

Hæc neceſſ. præcepti. Iſta neceſſ. medii.

Scio equidem Reſtitutionẽ, alio modo, ad ſalutem neceſſariam eſſe, quàm Pœnitentiæ Sacramentum; cùm tamen vera Contritio includat votum implendi omnia omninò præcepta, homo ritè contritus habet votum reſtituendi ablata, non ſecùs ac peccata confitendi. Nemo tamen dixerit, ex eo confi-

Digitized by Google

ci, ut Reſtitutio, quæ nondùm fit, nec fortaſſe unquam fiet, ſit reverâ cauſa gratiæ, & veniæ quæ homini illi, Contritionis intuitu, conferuntur.

Prob. 2. per votum Sacramenti, non explicari efficientiam Sacramenti.

2. Refellitur via illa concordiæ, quòd Abſolutio Sacramentalis verè juvet ad gratiam Juſtificationis, ſeu producendam, ſeu obtinendam, quia videlicet Contritio etiam Charitate perfecta eam non impetrat, niſi fuerit cum Sacramenti voto conjuncta. Refellitur, inquam, quia cùm dicitur Sacramentali Abſotutione peccata detergi; ſimul intelligitur Sacerdotibus collatam à Chriſto poteſtatem ea condonandi, & ab ipſis revera dimitti, cum, ex ſolenni formulâ, Abſolutionis verba pronuntiant. Atqui hujuſmodi poteſtatem à Chriſto nunquam accepere, ſi Contritio Charitate perfecta, ad Sacramen-

tum neceſſariò requiratur, & ab hujuſmodi Contritione, quod fatetur ſecunda iſta ſententia, nunquam ſejungatur remiſſio peccatorum. Hæc autem aſſumptio ita probatur.

Non eſt credibile, Chriſtum, eam poteſtatem Eccleſiæ ſuæ Miniſtris contuliſſe, quam neque exerceant, neque exercere unquam poſſint: quòd autem, poſitâ iſta ſententiâ, hujuſmodi poteſtatem, conceſſiſſe ipſis videretur, ita conficitur. Cùm homo Pœnitẽs ad genua Sacerdotis accidit, Abſolutionis beneficium percepturus, vel Contritione, Charitate, perfectâ inſtrutus accedit, vel eâ deſtitutus: Si Contritione careat, nequit planè Sacerdos ei peccata remittere, quia nulla cauſa vim, & actionem ſuam expromere poteſt, in ſubjectum idoneis diſpoſitionibus vacuum: Contritio autem perfecta,

ut

Digitized by Google

ut aïunt, eſt diſpoſitio non modò idonea, ſed ad Sacramentum penitùs requiſita. Si divino amore ſimul, & ſcelerum dolore incenſus, accedit, deleta jam ſunt peccata omnia, nec locus ullus Sacerdoti relinquitur, ad ea dimittenda, quæ aliquantò antè, pius ille dolor, ac divinus amor abſumpſit.

Neque dicas votum illud Sacramenti, cum dolore conjunctum, referri ad poteſtatem Sacerdotis, & cum eâ connexionem habere; quia cum votum illud, nullum Sacerdotem ſingularem, neque Petrum neque Paulum reſpiciat, ſanè nec Petrus, nec Paulus, nec ullus ſingularis Sacerdos peccata remitterent.

Prætereà, cùm Peccator pœnitens de peccatis dolet, & votum habet confitendi ſeu Parocho, ſeu conſueto Sacerdoti, fieri poteſt,

Digitized by Google

ut eo tempore illi ſomno indulgeant, ac proinde dici poterit, quòd Sacerdos dormiens miniſterium exerceat ſuum, confitentes abſolvat, ac ritè peccata condonet. Apage hujuſmodi ſomnia, à gravitate, & dignitate Sacramentorum tantopere aliena.

Tertiò, ut ſequitur ex propoſitâ illâ concordiæ viâ, Sacerdotem non accepiſſe à Chriſto poteſtatem remittendi peccata, ita neque retinendi, contrà quàm Chriſtus ipſe apertè pronuntiat,
Joan. 20. 23. *Quorum remiſeritis peccata, remittentur eis; & quorum retinueritis retenta ſunt.* Probatur autem. Ideò Sacerdos habet poteſtatem retinendi peccata, quia ex causâ, quæ ipſi æqua, ac legitima videtur, poteſt interdùm Abſolutionem confitenti denegare, quâ deficiente, remanet ille peccatorum vinculis irretitus: Atqui,

Digitized by Google

poſitâ illâ adverſariorum ſententiâ, non poteſt Sacerdos ita denegare Abſolutionem, ut homo Pœnitens, maneat peccatis obſtrictus, imò, velit nolit, iis certiſſimè exolvetur: nunquam igitur Sacerdoti liberum, & integrum erit peccata retinere.

Aſſumptio, in quâ vis argumenti tota jacet, videtur certa: cùm enim homo Pœnitens, ut ſupponitur, cum Contritione Charitate perfectâ, ſive cum Contritione, ex amore Dei ſuper omnia, ad Sacramentum accedat, vi ſanè hujuſmodi Contritionis, jam veniam peccatorum obtinuit, ac proinde, licet Sacerdos, vel ad cautionem, vel ad medelam, vel ex falsâ opinione, quòd ille non ſit ritè diſpoſitus, abſolutionem deneget, aut differat in aliud tempus, efficere nunquam poterit, quin jam ſint peccata deleta, ac proinde non po-

Digitized by Google

terit ea retinere. Ex quibus patet, ſecundam iſtam concordiæ viam non conſulere efficientiæ Abſolutionis Sacramentalis, & poteſtati remittendi, ac retinendi peccata, quam Chriſtus Sacerdotibus contulit.

Porrò, ad exemplum Chriſti Domini, longè ante vitæ ſuæ mortalis tempora, gratiam & ſanctitatem antiquis Patribus tranſmittentis, reſpondetur, cauſam moralem menti objectam, virtutem exercere ſuam, quanquam reverâ non exiſtat, modò tamen illam, certo ac definito tempore, in rerum naturâ extare contingat. Quare multò antè quàm Chriſtus, hominum causâ, ſanguinem vitamque profunderet, patientis ac morientis merita Deum movebant, ut gratiam ac peccatorum veniam, antiquis Patribus impertiret; quia videlicet

Digitized by Google

certo, ac conſtituto tempore, moriturum illum certiſſimè prævidebat.

Ita pariter, cùm homo Pœnitens perfectæ Contritioni Sacramenti votum adjungit; ut Sacramentum ipſum dicatur agere, ſivè, ut Deus intuitu Sacramenti, gratiam illi, & veniam tribuere videatur; neceſſe omninò eſt, ut futurum aliquando Sacramentum, & impertiendam reverà homini Abſolutionem certiſſimè noverit. Atqui illud ſæpe non novit: votum igitur Sacramenti, non convincit, ipſum Sacramentum verè agere, gratiamque producere, antequam reipsâ peragatur.

Dixi ſæpe contingere, ut Deus veniam indulgens Pœnitenti, intuitu Contritionis & voti Sacramenti, non videat tamen Sacramentum, ullo unquam tempore, extiturum. Fac enim hominem

Digitized by Google

unum Sacerdotis auxilio deſtitutum, inter Barbaros emori. Fac alterum, Chriſtiano ritu, antequam cubitum diſcedat, in conſcientiam inquirere ſuam, ac de peccatis ex animo dolere; moxque, inter dormiendum, apoplexiâ extingui. Illi certè Contritionis merito, noxarum jam omnium obtinuerant veniam. At quæro, quo tandem pacto, Sacramentum nunquam futurum ad eam contulerit? quâ ratione Deus, intuitu Abſolutionis nunquam impertiendæ, peccata illis hominibus condonarit?

Nec dicas, in eo & ſimilibus caſibus, votum Sacramenti ſupplere vicem Sacramenti. Reſpondetur enim, votum Sacramenti, & Sacramentum ipſum, ut ſuperiùs dictum eſt, duo eſſe disjunctiſſima, maximéque diverſa. Cùm enim votum Sacramenti ſit actus à Pœ-

Digitized by Google

nitente elicitus, quod ab hujuſmodi actu efficitur, ſive quod à Deo efficitur, intuitu illius actûs, operi certè Pœnitentis tribuendum eſt, non virtuti, & actioni ipſius Sacramenti.

32. Reſponſio adverſ. Caſtor. c. 2. §. 1.

Reſpondent tertiò, laborare nos eâdem difficultate, quâ adverſarios implicatos arbitramur; quippe qui, perinde ac illi, ſuam Abſolutioni Sacramentali efficientiam detrahamus. Nam licet Contritionem Charitate perfectam, in Sacramento, planè neceſſariam eſſe non cenſeamus, fatemur tamen, à Pœnitentibus frequentiſſimè adhiberi, imò ſuadendam ipſis, & eorum in animis, quantùm fieri poteſt, Sacerdotum monitis, atque adhortationibus excitandam. Eo certè caſu, irritam & inutilem eſſe contingit Abſolutionem, quæ nihil prorsùs efficiat, ſublatis jam, deletiſque,

Digitized by Google

præviâ Contritione, peccatis.

Ibidem. Accedit, quòd nec Sacerdoti liceret Contritionem, ac Dei amorem Pœnitentibus ſuadere; Neque enim poſſunt aut Pœnitentiæ miniſtri ſubjicere Pœnitentibus, aut Pœnitentes ipſi adhibere eam diſpoſitionem, quâ inutile redditur Sacramentũ; utrique enim eo facto debitam ſacro myſterio reverentiam violarent. En, nos itaque, aiunt, iiſdem, quos adverſariis injicimus, laqueis irretitos. Verùm ab hujuſmodi laqueis nos expeditos, ſecuroſque præſtat, quod inter utramque ſententiam intercedit latum ac palmare diſcrimen.

Refell. 3a. Reſponſio Adverſ. & oſtenditur diſcr. inter eorum ſent. & noſtrã.

Nam ex ſententiâ adverſariorum ſequitur. 1. Abſolutionem Nihil unquam efficere, cum peccata jam fuerint præviâ Contritione ſublata. 2. vacuam, & inanem à Chriſto traditam Apoſtolis, ac Sacer-

Sacerdotibus poteſtatem, quâ nec remittuntur unquam nec remitti poſſunt, peccata jam ex perpetuâ, & conſtanti Dei, lege, Contritionis beneficio, condonata. 3. Explicari non poſſe objectum Abſolutionis, ſive ſenſum formulæ Sacramentalis, quâ Sacerdos aſſerit, ſe, reum confitentem à peccatis abſolvere. Si enim ille, merito Contritionis, jam peccatorum veniam impetravit, falſam eſſe oportet Abſolutionis formulam, quâ dicitur, interim dum illa pronuntiatur, hujuſmodi veniam, Dei nomine, à Sacerdote concedi.

At in ea incommoda, in hos ſcopulos ſententia noſtra non incurrit. Primò enim cùm ad Sacramentum, alterutram requiri doceat ſeu Contritionem ſeu Attritionem, Abſolutio tunc quidem nihil efficiet, ubi Contritio perfecta præiverit; at vim ſuam om-

ninò exeret, quoties Attritionem ſolam Sacramento adjunctam eſſe continget.

2. Deinde irrita non eſt, conceſſa Eccleſiæ miniſtris, abſolvendi poteſtas, quam frequenter exerceant, quoties nempe Pœnitentes ſolâ Attritione parati ad eorum tribunal accedunt. Et verò, cum, exortâ alicubi ſeditione, Prætor in Provinciam mittitur, qui ad officium redeuntibus, defectionis veniam, Regis nomine, tribuat; habet ille veram, ac legitimam juris dicendi poteſtatem, quamvis ipſe, reos non omnes abſolvat, ſed alii, ex vehementiſſimo culpæ dolore, in aulam maturè progreſſi, ab ipſo Principe recipiantur in gratiam. Ita planè, rata, integra, ſanctáque eſt Sacerdotis poteſtas, licet Chriſtianos peccati reos, ſolùm illos peccatis eximat, quos pœnarum

Digitized by Google

metus abſterret, non autem illos qui Deum Optimum ſuper omnia diligentes, ab eo antè, veniâ donati ſunt, quàm Sacerdos de illis ſententiam ferat.

3°. Denique ſententia, quæ docet Attritionem in Sacramento ſufficere, optimè explicat objectum Abſolutionis, ſeu vim formæ Sacramentalis. *Ego te abſolvo.* Senſus eſt enim, *Confero tibi Gratiam remiſsivam, ſeu expulſivã peccati*, qui efficax, & verus eſt, ſive Pœnitens contritus, ſive attritus accedat; ſive peccata mortalia, ſeu venialia confiteatur. Nam virtute eorum verborum, confertur, hujuſmodi Gratia, quæ eſt propria Sacramenti Pœnitentiæ, ſicut Gratia nutritiva propria eſt Sacramenti Euchariſtiæ; & Gratia roborativa, propria Confirmationis.

Porrò Gratia illa Pœnitentis in animo producta, omnem conti-

Digitized by Google

nuò delet peccati maculam; quòd ſi peccatum adeſt nullum, vim habet nihilominùs illud, ubicumque occurrerit, abolendi. Neque enim eſt de rationeGratiæ ſanctificantis, ut actu peccatum expellat, ſed ut ſufficiens atque idonea ſit, ad illud, cùm caſus tulerit, expellendum.

Inſt. Benè habet, reponent adverſarii, non eſt inutile Sacramentum, nec irrita Abſolutio, quamvis jam fuerint remiſſa peccata; quia videlicet miniſterio Sacerdotis Abſolventis, confertur, ſeu augetur Gratia ſanctificans,ex naturâ ſuâ,expulſiva peccati: ergo fruſtra objicitur ſupervacaneam forè Abſolutionem, ſi ad eam perfecta Contritio requiratur; quandoquidem, abſtersâ licet peccati maculâ, fiet tamen nova acceſſio Gratiæ ſanctificantis, quæ animũ, majori ſanctitate exornet, & vim

Digitized by Google

habeat, ſi neceſſe foret, peccata quælibet remittendi.

Hic eſt clypeus ille, quo adverſarii cauſam ſuam, à jaculis noſtris tutiſſimam arbitrantur: At videant quàm facilè perrumpatur. Siquidem, in ſententiâ noſtrâ, aſſignatur omninò effectus proprius Sacramenti Pœnitentiæ, Gratia nempe remiſſiva peccati, quæ videlicet vim habeat illud remittendi, ac reverâ remittat, quoties Abſolutioni Attritio ſola præmittitur. Reſp. Inſt

At in ſententiâ, quæ, Dei amorem ſuper omnia, neceſſariò requirit, nulla Gratia remiſſiva peccati poteſt à Sacramento produci. Illa enim Gratia non eſt remiſſiva peccati, hoc eſt vim non habet expellendi peccatum, quæ nec illud expellit, nec poteſt unquam expellere. Fruſtra enim eſt actus primus, qui in actum ſecundum

Digitized by Google

prodire nequit, & inanis eſt, atque otioſa potentia, quæ exerceri, & ad uſum revocari non poteſt. Atqui poſitâ neceſſitate amoris Dei, ad efficientiam Abſolutionis, Gratia, quæ à Sacramento confertur, nec peccatum expellit, nec expellere unquam poteſt, quia illud jam certiſſimè deletum eſt, vi præviæ Contritionis, & amoris: in ſententiâ igitur quæ ſtatuit dolorem, ex amore Dei ſuper omnia, ad Sacramentum Pœnitentiæ neceſſarjò requiri, dici non poteſt effectum proprium Sacramenti eſſe Gratiam remiſſivam peccati; quod in ſententiâ, quæ docet Attritionem ſufficere, optimè explicatur.

Ex quibus, aliiſque ſuperiùs diſceptatis ritè conſequitur, virtutem Sacramenti Pœnitentiæ, efficaciùs à nobis quàm ab adverſariis vindicari, noſtramque ſententiam

Digitized by Google

iis incommodis, non urgeri, quibus eorum ſententia conflictatur.

Juxta rerum hîc tractandarum formam initio propoſitam, addenda foret Tertia Pars diſſertationis, in quâ oſtenderetur ſententiam, quæ docet amorem Dei ſuper omnia, ad valorem Sacramenti, neceſſarium eſſe, non ſolùm efficientiæ Sacramenti, ſed ipſi etiam divinæ Charitati injuriam facere; niſi res ex occaſione, & in anteceſſum, jam perfecta eſſet, in primâ parte hujus diſſertationis.

TERTIA PARS DISSERT. SENTENTIA QUÆ AMOREM DEI SUPER OMNIA, REQUIRIT, IMMINUIT VIM DIVINÆ CHARITATIS.

Quare, ex iis, quæ eo loco dicta ſunt, ſic liceat breviter ratiocinari. Qui, amorem Dei ſuper omnia, ad valorem Sacramenti requirunt, ut Decretis Concilii Tridentini conſulere videantur, docent omnem hujuſmodi amorem, qui in Sacramento ſufficit, non ſufficere extra Sacramentum, ad

homines cum Deo recõciliandos. Hoc autem dico,in divinam Charitatem, maximè injurioſum eſſe.

Nam cùm illa, quæ ad Sacramentum requiritur, ſit Dei dilectio ſuper omnia, hominem certè ab amore rerum creatarum avertit, totumque convertit ad Deum. At quàm contumelioſum eſt huic præſtantiſſimæ virtuti, aſſerere, dum ipſa cor hominis ad Deum traducit, non habere vim, Deum ad hominem convertendi? contrà quàm Deus ipſe ſæpiùs affirmarit, *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Quàm iniquum, ſuam divinæ Charitati virtutem ita detrahere, ut, licet Deum ex toto corde, ac ſuper omnia diligat, non poſſit ab eo vel minimam ſcintillulam mutui amoris elicere? Cùm ipſe, expreſſis apud Salomonem verbis, pro-
Prov.8. fiteatur, *Ego diligentes me diligo.*

Quàm

Quàm denique alienum eſt à dignitate Charitatis, conciliare illam cum Dei offenſione, & cum peccato? Denique quod genus illud Charitatis fingitur, quæ licet Deũ ex toto corde, & affectu ſinceriſſimo diligat, impedire non poſſit, quin Deus hominem ſummo nihilominùs odio proſequatur? Videntur ea ſanè à nobiliſſimæ virtutis dignitate penitùs aliena.

Hæc ſunt Optime....... quæ à vetere amico tandem elicuit ſtudioſiſſima tibi obſequendi voluntas. At quàm meliùs de re Theologicâ, ac Chriſtianâ meritus foreſ, ſi datam mihi Provinciam ipſe obire voluiſſes. Argumentum certè uberiùs ac feliciùs illuſtraſſes, divite iſtâ ingenii venâ, ac beatâ facundiâ, quam noſtra, exteræque gentes toties ſuſpexere. Sed quoniam æquum eſt, veteranum ac emeritum militem, tranquillam

Digitized by Google

in ſtationem ſecedere, ubi partâ, multis laboribus, quiete, procul à ſtrepitu, & diſputationum æſtu perfruatur, impoſitum ego munus ultrò ſuſcepi. Quod ſi in Dei, & Eccleſiæ laudem ceſſerit, venies ipſe in partem cœleſtis præmii, qui ſuaſor & Autor operis extitiſti.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

5-3-6-3

Digitized by Google